IOANNIS DAVIDIS MICHAELIS

SUPPLEMENTA

AD

LEXICA HEBRAICA.

PARTES SEX.

GOTTINGAE

Typis IOANNIS GEORGII ROSENBUSCH. MDCCXCII.

LECTORI BENEVOLO

S. D.

TH. CHR. TYCHSEN.

Quod nunquam fore exſpectaueram, ut huius operis prologum agerem, id ita iubente fati neceſſitate, quae ante hos decem menſes perilluſtrem auctorem rebus mortalibus abſtulit, impoſitum mihi video. Etenim quum liber ad finem fere perductus, paucis admodum reſtantibus plagulis, ab emtoribus cupide expeteretur, ipſe autem aegre ferrem opus vtiliſſimum imperfectum tradi emtoribus, atque aeris numerati partem his reddendum eſſe ab haeredibus; non potui non horum votis et manibus Viri ſummi, tum ob ingentia in rem literariam merita, tum ob ſingularem in me fauorem, nunquam non pia memoria colendi, hoc dare, vt, iis quae deeſſent addendo, opus perficerem, nomenque a b. auctore contractum vtcunque exſolverem. In quo quomodo verſatus ſim antequam exponam, video mihi pauca praefanda eſſe de opere vniuerſo, quae quamuis jam ſatis nota ſint lectoribus, tamen in ipſius libri fronte fas eſt commemorari.

Quod fuerit b. auctoris in his supplementis conscribendis consilium, ipse declarauit in iis, quae de libro edendo publice edixit, in Bibliotheca orient. T. XX. et XXI. fin. Noluit ille lexicon integrum conscribere, quo in tanta lexicorum copia non opus esse putaret, sed iis quae ipse per plures annos obseruasset, supplere et corrigere vulgaria lexica. Primo igitur voces biblicas, in lexicis omissas, quod aut ad aliam radicem, cuius anomalae formae putarentur, relatae essent, aut in lectione variante, aut in codicibus tantum superstites essent, addere voluit. Tum significationibus verborum perperam receptis, Rabbinorum fere auctoritate, veras substituere, omissas supplere, illas etiam, quas veteres interpretes, quamuis alieno loco, expresserunt, modo illae linguarum orientalium vsu confirmatae sint. Denique nomina propria, tam personarum quam locorum, de quibus aliquid moneri possit, aut quae in Spicilegio geographiae Hebraeorum exterae tractata non essent, illustrare.

Haec sunt quae in hoc opere maxime se spectare professus est. Cum subinde rogatus esset, ad quod maxime lexicon referrentur haec supplementa, commendabat inprimis lexica Cocceii, Simonis et Castelli in Heptaglotto, quorum posterius ipsius suasu typis exscribi coeptum a Rosenbuschio, typographo Gottingensi, propediem cum his Supplementis apud Fleckeisenium bibliopolam Helmstadiensem in lucem proditurum est, ita adornatum, vt eae voces, de quibus in hoc opere disputatur, adiecto numero ad Supplementa relato, in margine sint notatae.

Mone-

Monebat praeterea b. auctor, ſe non vbiuis alphabeticum ordinem ſecuturum eſſe, ſed interdum cognata vocabula et lucem ſibi mutuo miniſtrantia ſimul tractaturum, v. c. כימה, כסיל, עיש et עָשׁ, porro גלם (גלום) et תכלת, cui tamen ordinis perturbationi indice alphabetico, ad finem operis addendo, conſultum iri.

Quomodo in exſoluendis his, quae promiſerat, verſatus ſit b. auctor, ex ipſo libro dudum perſpectum eſt lectoribus, vt non opus ſit eius laudes atque virtutes pluribus exponere. Quis non miratus eſt inſignem hunc multorum annorum laborem, ſubtiliſſimae criſeos et variae eruditionis pleniſſimum, in quem, quae per quinquaginta fere annos a ſummo in hoc literarum genere viro ad grammaticam V. T. interpretationem obſeruata ſunt, congeſta videmus. Quanquam autem non omnia ita exhauſta ſint, vt nouis Supplementis ad haec ipſa Supplementa nullus relictus ſit locus, quamuis fortaſſe etymologiis et diuinandi, quo pollebat, acumini plus iuſto aliquando indulſerit auctor, vix tamen aliud, ſi recte auguror, e multis, quibus rem literariam auxit libris, certius viri famam ad ſeros poſteros propagabit quam haec Lexicorum Supplementa. Caeterum longe plura dedit b. auctor, quam ipſe promiſerat; etenim pro ſeptem, quae vocant, alphabetis, duplum fere effecit plagularum numerum, creſcente in operis decurſu rerum copia; atque his divitiis, puto, compenſatam ſibi exiſtimabunt emtores temporis moram, quod integro ſeptennio ſerius opus receperunt, quam a ſe abſolutum iri b. auctor olim putauerat.

Perductum erat ſextum operis volumen ad p. 2296 cum morte auctoris ſiſterentur operae. Conquiſitis igitur iis quae ſua manu ſcripta reliquiſſet praelo parata, vidi haec tantum ad vocem משכיל N. 2483. procedere, reliquas autem ad Supplementa pertexenda copias non nimis eſſe lautas. Scilicet praeter ſchedas quibus de vocibus מְשֻׁלָּבוֹת, שִׁלּוּם, שְׁרֵמוֹת, תּוֹכֵנָה et תְּכֵלֶת diſputaretur, nihil reperiri poterat, vt parum abeſſet, quin ab opera ſuſcepta deterrerer. Verum ſuccurrebat dubitanti lexici Cocceiani exemplar, quo vſus fuerat ill. Michaelis, in quo mox animadverti tum quaedam adnotata eſſe, quae ad Supplementa ſpectarent, tum indicari loca, quibus ipſe de hac vel illa voce egiſſet, ſaepe linea ſolummodo loco biblico, a Cocceio laudato, ſubducta. Excutiendi igitur erant commentarii ſiue notae philologicae in V. T. libros, quas in uſus lectionum partim ſatis nitide conſcriptas et olim publicandas reliquit b. auctor. Quarum omnium vſus cum humaniter mihi conceſſus eſſet, inueni plerumque, non ſine longa et taedii plena inquiſitione, obſeruationes et diſputationes ad verba ſingula. Ex his ego, quidquid his Supplementis aptum eſſet, ſumma cum cura atque fide deſcripſi, vt, tantum non vbique, ipſius auctoris verba ſeruata eſſe certi eſſe poſſint lectores. De meo praeter ſingula verba, quae adiicere aut immutare iubebat orationis fluxus, nihil addidi; niſi quod paucis locis temperare mihi non potui quin obſeruatiunculas quaſdam interſpergerem, quas non ingratas futuras eſſe lectoribus putarem. Hae tamen ne cum ipſius auctoris verbis permiſceantur, vncinis adpoſitis cautum eſt. Plura ex his accuratius et fuſius tracta-

tatu-

taturum fuiſſe b. auctorem, ſi ipſe perficiendo operi ſupervixiſſet, non diffiteor; nec deerunt qui quarundam vocum explicationes ut תּוֹלָע, שֶׁקֶל, תַּחַשׁ deſiderent: Verum hos qualescunque defectus nemo, puto, aequus lector alieni operis editori, qui nullo ſuo commodo, nec ſine inſigni temporis diſpendio hanc prouinciam adminiſtravit, imputabit. Equidem ad quas voces ab auctore nihil quod alicuius momenti eſſet notatum reperiſſem, has intactas relinquere malui, quam ex mea penu, quod difficile non erat, ſupplendo, moleſtae officioſitatis nomen mereri.

Indice alphabetico, quem promiſerat b. auctor, repeпriundis vocibus inſerviturum, non opus eſſe videbatur, cum et, mutato conſilio, raro aut nusquam in recenſendis vocibus a literarum ordine diſceſſerit, et inprimis indicis optimi vices nunc ſuppleat Lexici Caſtelliani exemplum, ſupra memoratum. Figuras quoque addere decreuerat, ſi ſatis frequens ſubſcriberet emtorum numerus. Harum etiam indiculum reperi, in quo notata: אֵילָה, *Terebinthus*, ארז *Cedrus*, אשל *Tamariſcus*, ארוד *numus* (Aradiorum) חֶלְבְּנָה *ferula galbanifera.* Videtur autem re minus ſuccedente totum conſilium abieciſſe; nec enim dubium, eum plures figuras in indicem relaturum fuiſſe, ſi rem euentum habituram eſſe exiſtimaſſet.

Peruenit in manus meas haeredum munificentia horum Supplementorum exemplar, quod, ipſius auctoris uſibus olim deſtinatum, memoriae cauſa ſeruo. Multa hic marginibus adſcripta, quae modo correctiones et curas ſecundas

ad

AMICIS,

QUORUM SUMTIBUS HOC OPUS EVULGATUR,

S. D.

JOANNES DAVID MICHAELIS.

Reddo Vobis, tardius quam vellem, supplementorum initium, morbo, qui me ineunte Martio invasit, et ex quo tarde convalui, impeditus: quam moram quod non inique tulistis gratias ago. Nota cum praetermiserim, ea sola Vobis dans, quae per hos XL annos collegi, aut plane nova, aut nova inque lexicis praetermissa sententiarum veterum argumenta, liceat a Vobis petere, ut haec supplementa non, ut fieri in lexicis solet, evolvatis ubi opus, sed et perlegatis. Goettingae die 5. Oct. 1784.



AVERTISSEMENT.

Nur sehr wenige meiner Herrn Pränumeranten haben mir gemeldet, durch wen sie entweder hier ihre Exemplarien abfodern lassen wollen, oder an welchen auf die Leipziger-Messe kommenden Buchführer ich sie zur weitern Bestellung an sie abliefern lassen soll: und diese wenigen erhalten sie jezt so gleich; dabey diejenigen, die befohlen haben, sie nach Leipzig zu addressiren, so gütig seyn werden, durch die sie dort in Empfang nehmende Buchhandlung der Vandenhökischen Buchhandlung die Fracht bis Leipzig und Emballage zu vergüten. Die übrigen muss ich so lange in Verwahrung behalten, bis sie entweder hier durch eine sichere Person an die ich durch eigene Hand des Pränumeranten gewiesen werde, von mir abgefodert werden, oder mir gemeldet wird, an welche Buchhandlung ich diesen und den folgenden Theil auf die Leipziger-Ostermesse senden soll, die sie, gleichfalls gegen Erstattung der Fracht und Emballage von der Vandenhökischen Buchhandlung in Empfang nimt. Dabey muss ich bitten, dass die Briefe mir völlig postfrey zugesandt werden, (mit Ausnahme derer die aus dem Hannöverischen kommen) indem ich bey dem sehr niedrig gesetzten Pränumerationspreise die Kosten der Correspondenz nicht übernehmen kann, die sonderlich bey Briefen aus den südlichen Gegenden Deutschlandes sich sehr hoch belaufen.

Lange nach Verfliessung des zur Pränumeration gesetzten Termins sind noch Pränumerationen eingelaufen: ich habe sie, weil die Ausgabe der Supplemente durch meine Krankheit verzögert war, eine Zeitlang angenommen, allein zuletzt habe ich sie müssen zurück gehen lassen, und bitte, fernerhin keine weder an mich, noch an Herrn Mag. Vollborth zu überschicken. Wer nicht pränumerirt hat, kann das Werk Theilweise als ordentlichen Verlagsartikel in der Vandenhökischen Handlung zu Kaufe bekommen, freilich um einen höhern Preis, den aber die gantze Verfassung des Buchhandels in Deutschland nöthwendig macht, und den ich eben durch den Weg der Pränumeration den Lesern zu ersparen suchte.

Verzeichniss der Pränumerationen nach den Städten.

	Exemplare
Ihre Majestät der König von Dännemark haben allergnädigst pränumerirt auf	50
Altengamm, Herr Pastor *Jänisch*	17
worunter 1 auf Schreibpapier.	
Bebenhausen, Herr Prof. *Schelling*	22
Braunschweig, Herr Prof. *Sergel*	5
Bremen, Herr Dr. *Büsing*	36
worunter 4 auf Schreibpapier.	
– – Herr *Bredencamp*	7
Cassel, Herr Pastor *Sartorius*	4
Coppenhagen, Herr Prof. *Hwiid*	16
Danneberg, Herr Superintendent *Lüder*	6
Dantzig, Herr Prof. *Trendlenburg*	12
Duisburg, Herr Dr. *Grimm*	16
Erlangen, Herr Prof. *Hufnagel*	7
Freyburg, Herr Conrector Mag. *Hübler*	12
Göttingen, Herr Mag. *Vollborth*	56
worunter 1 auf Schreibpapier.	
– – *Vandenhökische* Handlung	19
worunter 1 auf Schreibpapier.	
Gröningen, Herr *Beets*	7
Halberstadt, Herr Domprediger *Streithorst*	16
Halle, Herr Prof. *Schultz*	10
Hamburg, siehe *Altengamm*.	
Husum, Herr Rector *Cellarius*	6
Igensdorf bey *Nürnberg* Herr Pastor *Scheuber*	15½
Königsberg, Herr Pastor *Lauwitz*	11
Leipzig, Herr M. *Schleussner*	12
London, der Lord Bischoff von Oxford	40
– – Herr Hoffprediger *Woide*	10
Magdeburg, Herr Rector *Funk*	9
worunter 1 auf Schreibpapier.	
Niska bey *Cosdorf*, Herr Mag. *Stemler*	10
Schafhausen, Herr Prof. *Altorfer*	9
Schulpforte, Herr Inspector *Hand*	5½
Schwerin, Herr Pagenhofmeister *Martini*	10
Siegen, Herr Rector *Lorsbach*	10
Stade, Herr Pastor *Hoffmann*	10
Stralsund, Herr Pastor *Gentzken*	5
Wittenberg, Herr Dr. *Reinhardt*	30
– – Herr Prof. *Schröckh*	9

Wer auf 10 Exemplarien pränumerirt hat, erhält meinem Versprechen nach noch das elfte dazu, und so jedesmal wenn es mehrere Zehne sind, auf jede Zehn eins.

אֵב plur. אִבּוֹת *fructus.*



אֵב, notiſſimum Aramaeis fructus nomen, habent lexicographi ex Job. VIII, 12. ſed illis addendum, ex elegantiore Syri interpretatione pluralem quoque ejus Job. XXXII, 19. occurrere, ubi verba, אִבּוֹת חֲדָשִׁים efferens, harmonice vertit, ܐܝܟ ܐܒܐ *ut fructus ſuo menſe rumpitur* vel *erumpit.* Pulcrior etiam futura verſio, ſi אִבּוֹת חֲדָשִׁים efferens, vertas, ut *fructus novi erumpunt.* Pluralis licet feminine terminetur, genus tamen maſc. ſingularis ſequitur. Nihil definio, ſed modo nomen enoto, antiquo interpreti aliter quam punctorum auctoribus acceptum. Vide plura ſub radice אוב; quo nomen ex punctis maſorethicis, et nonnullis codicibus plene אובות ſcribentibus, referendum. Vide et n. 4. p. 3. ſcribenda.

חדש אביב

אביב *ſpicam*, et vero *maturam* eſſe, recte docuit Coccejus. חדש אביב, *menſis ſpicarum*, Exod. XIII, 4. XXIII, 15. XXXIV, 18. Deut. XVI, 1. noſtro Aprili reſpondet, quo matureſcere in Palaeſtina ſpicae incipiunt. Vide commentationem de menſibus Hebraeorum.

אבר *erravit, vagatus eſt.*

Aliquid hic addiderim, non plane lexicographis praetermiſſum, ſed tamen non ſatis perſpicue dictum: אבר aliquando eſſe videtur,

 errare,

errare, vagari per deſerta, indeque et ſenſu morali, *errare*: ut Pſ. CXIX, 176. שה אבר, *ovis errans, quae a grege aberravit*, (mortuas enim pecudes quis quaerat? ſed diſperſas et errantes quaerimus). Ipſum praecedens verbum תעיתי ſignificationem arguit: *erravi ut ovis aberrans a grege.* Sic quidem et Arabibus أبد *aufugit animal*, pavidum factum, et in quinta تأبّد *pavidum et efferatum fugit*, unde *feras*, quod in deſerta fugiant, أبدة plur. أوابد vocant. Vide Golium. LXX. l. c. vertunt ἐπλανήθην ὡς πρόβατον ἀπολωλός; ſic quoque Matth. XVIII, 12. 13. in vertenda oratione Chriſti utrumque, πλανώμενος et ἀπολωλός, ut ſynonymum componitur: de ove ibi ſermo, quae a grege aberrans in montes et ſilvas aufugit. Illuſtrior etiam locus Deuter. XXVI, 5. ארמי אבד אבי *Aramaeus vagus*, (cum gregibus deſerta pererrans, Nomas) *erat pater meus, deſcenditque in Aegyptum*: Syrus gente, patria extorris, inter Cananitas paſcua nullis certis ſedibus pererrans. Nec *periturus*, nec, *perditus*, Jacobus recte dici poſſit, multoque minus majores, Iſaacus et Abrahamus: divites illi et potentes.

Hinc explicandum puto Pſ. I, 6. *via malorum* תאבד, *errat*, it per invia inque alta deſerta, aut periculoſos per calles: forte et Pſ. II, 10. ותאבדו דרך, ita tamen, ut hic cum conſveta pereundi ſignificatione conjungatur, vide verſionem germanicam: et Deut. XXXII, 28. גוי אבד עצות *gens errans conſiliis*.

Prima quae ſit verbi ſignificatio, non pro certo dixerim, forte tamen, ut, *perire*, primo eſt, *abire neſcio quo*, deinde *interire, perdi*, ſic et in verbo Hebraico acciderit.

אבה Job. IX, 26.

Vocabulum ἅπαξ λεγόμενον, Job. IX, 26. nec vel ibi ſine magna varietate lectionis, XXVIII enim codices Kennicotto collati,

איבה habebant, quod verti quidem possit, ut fecit Syrus, ܐܠܦܐ ܕܒܥܠܕܒܒܐ *naves hostiles*, (*celerrimae et expeditissimae piratarum naves*), ab איב, nec sane abluderet sequens membrum, ut *aquila irruit in escam* (praedam).

Si tamen lectio sana est, quod minime negaverim, ambigo inter Schultensii, cujus commentarium hic legi velim, et Bocharti sententiam.

1) Schultensius *papyrum* vertit, ex qua navigia factitata certum est, ipseque testes adduxit, collato Arabico أَبَاءَة *arundinetum, papyretum.* Possit et latius verti, *navigia ex arundine*, quae fuerunt, atque sunt, in India aliisque regionibus frequentia.

2) Bochartus in hieroz. P. II. p. 171. cum R. Salomone suspicatur, nomen proprium fluminis esse, quod Arabice أَبِّي scribitur, de quo Golius p. 2. *nomen fluvii prope Cufam, et alterius in Babyloniae regione Wasith.* Obvertit quidem Schultensius, loco Jobi vix aptum esse illum fluvium: mihi vero secus videtur, modo in Tigridis Euphratisque ostium exierit, antiquissimis enim temporibus commercia Indiae cum Europa per sinum Persicum, Euphratemque exercebantur, possint ergo naves hujus ostii inclytae poetice pro omnibus navibus poni. Hoc quidem in germanica versione sequutus sum, certi tamen nihil habens, ac neutram harum explicationem, ne lectionem quidem איבה navesque piraticas repudians.

Caeterum Hieronymus, qui *naves* vertit *poma portantes*, eique concinens Chaldaeus, אִבָּה adpellarunt retuleruntque ad אב unde Job. VIII, 12. cum suffixo legitur אִבּוֹ fructus ejus. Displicet tamen adpellatio et interpretatio, quid enim navigia *pomis onusta* laudentur, ubi de celeritate sermo?

אבה *voluit.*

Ad hoc verbum notiſſimum non pauci referunt, praeeuntibus jam, ut videtur, veteribus, LXX. Vulg. Syr. Chald. תֹּבֵא Prov. I, 10. vereor ut recte; duplex enim tribus in literis anomalia ſtatuenda, omiſſi Aleph prim. rad. et Aleph pro He poſiti. Equidem olim ad radicem potius יבא referebam, Arabice وبأ *digitum protendere*, *nuere*, ut ſit, *ne annue illis*, quod et a Cl. Schultzio in lexicon Cocc. receptum video, atque adhuc in veriſimilibus habeo: multo tamen expeditius mutatis punctis efferes, אַל תָּבֹא *noli venire.* Ante aliquot jam ſecula ſententiam mihi praeivit codex 494 (Romanus,) תבוא exhibens. Ergo certe אבא pro אבה ex lexicis et commentariis delendum cenſeo.

אֲבִיּוֹנָה, forte, *capparis.*

Nomen ἅπαξ λεγόμενον Cohel. XII, 5. atque ex maxime dubiis. Magno veterum conſenſu capparis eſt, LXX, Vulgatae, Syri, Arabis, ſed plerique recentiorum repudiarunt, eam maxime ob cauſſam, quod vix adparebat capparis ad ſenectam a Salomone deſcriptam ratio, ipſeque adeo magnus Olaus Celſius, T. I. hierobotanici paginis 209-215. quae totae relegendae.

Mihi vero haec una omnium videtur veriſimillima explicatio, ita tamen ut capparin intelligam, non arborem, ſed fructum, in quo me juvat lingua Thalmudica et Rabbinica, cui אביונין ſunt, *baccae*, *minuti arborum fructus*, *ut lauri*, *olivae*, *corni*, *myrti*, *et ſimilium*, (Buxtorfii lex. p. 12.) inprimis et, *capparis*, fatente Celſio p. 214. et loca adferente. Vide et Buxtorfium p. 2098. Faſſus ſum, ac denuo fateor Rabbinos אביון non de ſolis uſurpare baccis capparis: ſed potuit tamen de his antonomaſtice olim et proprie poni, idque factum eſſe, conſenſui antiquorum interpretum credo.

Quod

Quod opponit Celsius (p. 213.) Rabbinicum, *bacca*, אֶבְיוֹנָה scribi, nostrum אֲבִיּוֹנָה, nullius omnino momenti est. Primo enim, unde noverat, Rabbinicum nomen *Ebjonah* adpellandum esse? ex lexicis? ipsi enim Rabbini vocales addere non solent. Deinde fac, recte lexicographos Rabbinico nomini haec puncta addidisse, אֶבְיוֹנָה, eodem modo et vocabulum Salomonis, mutatis vocalibus, scribere possis.

At quid capparis senii simile habet? Hanc enim quaestionem ita tractarunt infeliciter, qui capparin defendebant, ut jure displicuerint Celsio. — — Forte ea non displicitura erant, quae in notis germanicis ad Coheleth XII, 5. scripsimus, *capparin, fructui maturo similem, nec tamen maturam, nec proprie fructum, sed baccam candidum florem emissuram, imaginem esse posse maturae senectutis ad aliam vitam reflorescentis.* Nempe תפר האביונה vertebam, *rumpitur capparis*, (vide lex. sub פרר) legique volebam Dieterichii phytanthozam iconographiam, T. II. p. 37-40. Sed jam video, aliam etiam explicationem se offerre: أَقْسَرَ inter alia est, *excidere, decidere*. Capparis postquam flores emisit ipsa jam maturitate decidens, imago senii ac mortis.

Quod si quis ex Thalmudicorum usu generalem det vocabulo, *baccae*, significationem, non valde obnitor, licet malim veteres sequi bona sententia, *cum bacca ipsa maturitate defluit.*

Unius Chaldaei, (non magni in Ecclesiaste nominis) facienda mentio, dicendumque, cur ejus partibus non accedam. *Concubitum* vertit, (ותתמנע מן משכבא, sic enim legendum recte monuit Celsius) male profecto ad seriem orationis: ותפר האביונה ultimum est Salomoni decrepitae senectae, statim ante mortem. Diu ante ad concubitum invalidi fieri solent senes

Caeterum de etymo certi nihil habeo. Ad אבה *desideravit*, aliqui retulerunt, quod capparis adpetitum stimulet: multa succurrunt

alia, mihi non liquet. אֶבְיוֹן si quis vocabulum adpellet, si compositum ex אֲבִי et יונה putet, *(pater columbae)* bonamque etymi rationem reddat, minime obstrepentem me habebit, sed auditorem modestum.

אֲבוֹי *nausea, vomitus.*

Vocabulum ἅπαξ λεγόμενον, sed ex serie, ut mihi videtur orationis, et lingua Arabica facile expeditu: *nausea* ex nimio vini potu atque ebrietate, collato Arabico أبي cui inter alios frequens *fastidiendi* significatus, e. g. أُبَاءٌ *fastidium, nausea.* Multo plura dabit Golius. אוי et אבוי, *vae! et vomitus*, aptissima et medica adeo crapulae descriptio. Miror id nemini recentiorum Arabice doctorum, quos relegi, in mentem venisse.

Veteres, LXX θόρυβος, *tumultus*, exque his Syr. ܫܘܓܫܐ, Arabsque ضجيج, Chaldaeus דְוָיָא *dolor*, sed cum alias soleat in Proverbiis concinere Syro, suspicor, דִּוְדָא legendum, licet hoc vocabulo lexica careant. Omnium pessime Vulgata ex etymo infelici, *patri vae!*

אבימאל Genes. X, 28.

De hac felicis Arabiae tribu nihil hucusque certi dictum, intelliges ex T. II. spicilegii p. 179.

אָבַךְ *superbe incessit.*

Ἅπαξ λεγόμενον, Jes. IX; 17. quod ex conjectura varie vertunt, *convolvere, glomerare*, Vulgata et Syrus; recentiores, Joh. Heinr. Michaelis *expandere*, alii per adliterationem, *perplexum esse*, a בוך, Coccejus, *epulverare*, ab אבק: alii et, cum verbum non intelligerent, ויתאכלו legerunt, *consumentur*, ut LXX et Chald.

Nemo de eo melius Castello, cujus sententiam, a plerisque lexicographorum plane omissam, cum meam faciam atque ex multis jam annis

annis fecerim, ipsa ejus verba, pro meis describere liceat: *Vox, cujus vera interpretatio, ejus saltem ratio, plerisque Judaeorum minus cognita videtur atque perspecta. Apud Syros in hunc usque diem retinetur ejus usus et significatus, quem tamen hoc in loco etiam iste interpres non est adsequutus. Est enim his, teste Bar Bahlul, idem quod* ܐܙܕܝܚ et ܐܬܡܫܟ *fastuose incedere, pec. instar bicristati galli, superbire, gloriari, jactare. — — Hinc unicus ille, in quo occurrit, locus, ita forte non incommode vertetur, et superbient, (fastuose se gerent) at superbia fumus, h. e. fumi instar evanescet, interibit.* Versionem loci Jesaiae paulisper mutavi: *und die so stoltz in die Höhe steigen, sind Rauch.* Et hoc addiderim, ipsum gallum a superbo incessu ܐܒܚܐ dici.

אֵבֶל *luctus, ipso sepulturae tempore.*

Generatim de omni quidem luctu poni potest, ac frequentissime ponitur: in antiquissimo tamen Mosis libro, אֵבֶל ab alio mortuorum luctu distinguitur, Genes. L, 3-11. Jacobum mortuum non posteri solum, sed et tota Aegyptus, deflent per septuaginta dies, deinde ingenti comitatu ad sepulcrum patrium in Palaestina perferunt, quod iter facile integrum mensem absumserit, in Palaestina *novum luctum septem dierum*, אֵבֶל dictum, instituunt. Est ergo אֵבֶל *κυρίως luctus in ipsa sepultura*, quae veteribus perquam sera fuit, pars pompae funebris.

Nihil hic ex Rabbinis discendum, quorum placita Geierus in libro de luctu Hebraeorum collegit. Vix ulla in re mores Judaeorum nostrorum ab antiquis magis aberrarunt, quam in luctu et sepultura: antiqui per menses et annos sepulturam differebant, nostri Judaei, et vero jam a Christi tempore, insane ipso mortis die eam festinant; hi ergo antiquis nominibus luctus, ut sunt plerumque verae antiquitatis suae gentis ignarissimi, diversissimas significationes subdiderunt.

Nomi-

Nomina propria geographica non pauca ab אבל incipiunt, ut אבל – – ,אבל מחולה – – ,אבל כרמים – – ,אבל בית מעכה ,אבל שטים – – מים, in Simonis onomastico evolvenda: quae quidem ab aliqua majore pompa funebri ducta reor, plane ut Moses tradit, locum in quo Jacobi funeri ab Aegyptiis luctus peractus, inde nomen אבל מצרים accepisse, Genes. L, 11. Sic nunc in Oriente a sepulcris illustrium et sanctorum locis nomina propria ducunt.

אָבְנַיִם *tempus.*

Bis occurrit, Exod. I, 16. Jerem. XVIII, 3. Vertunt fere *sellam parturientium, (Accouchir-Stul)*, ad seriem orationis Exod. I. satis apte, inque Jeremia, *opificum*, ac volunt, ab אֶבֶן *lapide* ita dictam. Vide Clericum ad Exod. I, 16. qui sententiam dilucide exposuit, ipse fassus, incertam esse. Nullius quidem linguae Orientalis usu confirmatur, nec veterum auctoritate commendatur. Sedebatur, fateor, ut nunc, ita et antiquitus, in lapidibus, ubi alia sella deesset (vide me sub אשפת) sed nulla Orientalis lingua sellam אבן vocat. Soli LXX lapides in Jeremia habent, (ἐπὶ τῶν λίθων) sed quos Hieronymus in commentario reprehendit, suum, ut credo, magistrum sequutus. Ne is quidem, qui puncta adjecit, de lapidibus cogitavit, quippe literae Aleph non Patach aut Chatephpatach, ut oportuisset, subjiciens, sed Komets-Chatuph. Duo Arabes, منبر *suggestum, locum editiorem* in Exodo vertentes, pro sella citantur parturientium: sed vereor ne in punctis diacriticis literarum erratum sit, scripserintque potius مثبر.

Alii cum אֹפֶן *rota* contulerunt, in Jeremia *rotam figuli* interpretantes. Sic ibi Chaldaeus, Syrus, Vulgata, inque commentario Hieronymus. Apta illi loco, rota, sed ad Exod. I, 16. inepta.

Equi-

Equidem permutationem literarum hic minime adſpernor, Arabes enim per Be, Fe, et Vau ſcriptum nomen habent, una eademque ſignificatione, إبّان, إفّان et أوان *tempus*, dictum et hoc forte, a rota, et orbe perpetuo temporis. Eandem ſignificationem, *temporis*, καιροῦ, vocabulo quoque Hebraico tribuo, in Exodo *ipſum partus tempus* intelligens, et praeiverunt, LXX καὶ ὦσι πρὸς τὸ τίκτειν, Vulg. *et partus tempus advenerit*, Syr. ܡܐ ܕܟܦܢ *cum incurvant ſe* ad pariendum, Chaldaei, על מתברא *in ruptura* ſcil. ſecundinae (vide me ſub מַשְׁבֵּר) ex quibus et Arabes corrigendos, legendumque puto مثبر. Jeremiae eſt, *ipſum tempus, quo vas perficitur et finitur.* Vide utroque in loco verſionem noſtram Germanicam.

Eſt ergo אבנים idem omnino, ac Proverb. XXV, 11. אפנים quod Vulgata, *in tempore*, reddidit, ibi quoque tempore a rota dicto. Sic et ſenſiſſe punctorum auctor videtur, eadem noſtro אָבְנָיִם puncta ſubſternens, quae ibi vocabulo per פ ſcripto אָפְנָיו.

Dualem numerum opponi meae explicationi poſſe video, cujus ex temporis notione non promte rationem reddiderim: verum hoc dubium ex ſolis punctis pendet.

אמנה et אבנה

Nomen proprium, 1) partis Libani montis, ex qua proſpectus Damaſcum verſus patebat Cant. IV, 8. 2) fluvii inde orti, unius eorum, qui Damaſcum alluunt. 2. Reg. V, 12. ubi vide Keri et Kethib. Orta duplex adpellatio et ſcriptio nominis ex vicinia Arabiae, B enim ut M efferre Arabes ſolent. Derivationem ignorare malim, multis ſe offerentibus, quam hariolari.

אַבְנֵט *cingulum ſacerdotum.*

De etymo nominis ambigo, ſitne, ut aliqui volunt, a בָּטַן *venire*, Arabicoque بِطَان *cingulum*, per transpoſitionem, an plane exoticum, a Perſico *Band* (بَنْد) *cingulum*, quod ut multa alia Perſica, Germanico *Band, vinculum, ligamen*, concinit. Perſicam originem quodammodo commendat, quod in communi vita Hebraeis inuſitatum, de ſolo ſacerdotum cingulo ponitur; Perſarumque ignicolarum cingula, ſeu zonae, ſacerdotum ornamentum, ſunt celebratiſſimae. Vide Ikenium, *de magis ignicolis*, quae eſt *diſſertationum* ejus *philologico-theologicarum*, anno 1749 Lugd. Bat. editarum, *duodecima.* Ipſe mihi obverti, Perſicum vocabulum in antiquiſſimo Moſis libro, eoque ſolo, vix exſpectandum eſſe: verum potuerit in linguam patriarcharum, in Meſopotamia natorum, ex lingua boreali aliqua, ipſaque ignicolarum immigraſſe, atque, cum in Palaeſtina pro Aramaea Cananiticam linguam adſciſcerent, in hac ut nomen ornatus ſacri ſervari. N. L.

אֵבוּס *praeſepe.*

Recepta olim ſignificatio Schultenſio ad Prov. XIV, 4. displicuit, pro qua *aream in qua frumentum trituratur*, ab أبس, *calcare*, ſubſtituit, multos ex recentioribus, nec mirum, nactus aſſeclas. Loco, quem dixi, Proverbiorum, perquam apta area, licet nec *praeſepe* ſit ineptum, (vide verſionem meam germanicam): omnibus autem dubitatis et deliberatis, haec nova ſignificatio antiquanda, et olim recepta, *praeſepe*, reſtituenda videtur. Primo enim ei obſtat, magnus veterum interpretum in praeſepe conſenſus, quos mirum fuerit omnes in unum errorem conſentire: deinde Jeſ. I, 3. aſinus noſſe dicitur אֵבוּס domini ſui, aſinos autem triturandae areae adhibitos eſſe,

legere

legere me non memini, (ſed hoc minutum): tertio, Job XXXIX, 9. bos ad אבוס pernoctare dicitur, atqui non area, ſed praeſepe ac ſtabulum bovi pernoctationis locus: denique ſi אבוס area a calcando eſt, vix poſſit מאבוס aliter explicari, atqui מאבוס Jerem. L, 26. *aperiri* dicitur, quod in aream ſubdialem vix cadit. Addiderim, ex legibus linguarum ne etymon quidem placere, أبس enim Hebraico אבש ex regula reſponderet, non אבס.

Ergo, *praeſepe*, retineo, quod et nomen Chaldaica lingua ſignificat. De etymologia ſi quaeras, nolim derivare a Chaldaico אבס *ſaginavit*, hoc enim derivatum mihi potius ac denominativum a praeſepi videtur, ſed ab Arabico أبش *colligere*, *congregare*, quod praeſepe communis boum convictus, ad quem congregantur, unde et Chaldaeis אבוס praeter praeſepe, *pateram majorem* ſignificat, *ex qua plures operarii veſcuntur*, et أبش *qui amici atrium cibo ac potu inſtruit, hoſpite ſuperveniente.*

אֲבַעְבֻּעֹת *tumores*, *ulcera*.

Vocabulum non niſi bis lectum Exod. IX, 9. 10. quod cum alii ad aliud retulerint etymon, nihil decernens ſub א malim ponere. Ipſa ſeries orationis, de elephantiaſi enim, et vero de peſſima ejus ſpecie, nigra, ſermo eſſe videtur, ad ulcera nos *alia poſt alia propullulantia* deducere videtur. Aretaeus Cappadox de mitiore loquens elephantiaſi, *tumores* (ὄχθοι), inquit, *alii juxta alios exſurgunt*, (p. 69. editionis Boerhavianae): deque ſaeviore p. 70. *tumores in ulcera degenerant*, *malarum*, *menti*, *digitorum*, *genuumque: ulcera foetida ſunt et inſanabilia* (κάκοδμα καὶ ἀναλθέα); *alia ſuper alia exſurgunt*, *itemque alia ſuper alia miteſcunt.* Vide et Paulum Aeginetam p. 60. editionis Aldinae, maximeque ex recentioribus *Hillary on*

 the

the epidemical diseases in the Island of Barbados p. 325. 326. 327. 337. Ulcera pejorantia *non manare solum, sed et aliquando cruenta esse, semper carne luxuriante, et quasi vento plena,* auctor est Schillingius de lepra p. 184. (Or. bibl. T. XVII. p. 26.).

Etymon dubium, pluribus se radicibus offerentibus. Ad radicem אבע si derives, contuleris forte non male Arabicum وَبْغ *furfures, seu furfuratio capitis, morbus quidam corrumpens camelorum pilos,* (sunt enim tales initio tumores leprosi, ac maxime pilos adficiunt): sin cum Coccejo ad בעה, illis uteris, quae infra sub hac radice dabo. Alii ad כבע *scaturire*, referre solent, nec repudio, possis tamen et ad בעע, quod Arabibus (بغّ) *efferbuit.* Ex alterutro, seu ex utroque, (forte onomotopoetico) quadrilitera habent, nostro nomini explicando satis apta, Arabes, بَغْبَغ *bombus aquae e lagena fluentis,* Chald. בעבע *ebullivit*, Syr. ܐܬܒܥܒܥ *intumuit.*

In hac multiplici, et symptomatum successione, et etymorum se offerentium varietate, dubitari possit, sintne אבעבעת *tumores*, an *nata ex illis ulcera,* atque adeo non pure solum, aut lympha, sed et sanguine manantia. Judicent lectores, sed ita ut meminerint, אבעבעת Mosi ex שְׁחִין, *ulcere,* propullulare.

אַבְרָהָם vide sub רהם.

אֲגָג

Nomen proprium, 1) regis Amalecitarum a Saulo victi captique et a Samuele caesi. 1 Sam. XIV, 8. 9. 32. 33. 2) regis multo antiquioris ac majoris, Mosi aut coaevi, aut cujus Mosis tempore recens erat memoria, Ogygis ut puto, ejus qui Phoenicum coloniam in Boeotiam deduxit, primusque Thebis regnavit: Num. XXIV, 7. Ab hoc et terebinthum Hebronensem Ogygiam dictam fuisse arbitror.

(Jose-

(Josephi Ant. I, 10, 4.) Rationes ita sentiendi exposui in Tomo II. spicilegii geographiae Hebr. exterae p. 16. 17. ubi jam dictis adhuc addo, ex alia lectione, cujus vestigia in Samaritano textu supersunt, nomen plene scriptum אגוג (i. e. אֲגוֹג seu ut Syrus extulerit *Ogug*) magis etiam ad sonum, *Ogyges*, accedere: nempe pro מאגג Samaritanus textus habet מגוג.

Libri Estherae auctoritatem si salvam velimus, nec eum ob veridissimilia, quae narrantur, falsi damnare, tertius duobus addendus erit אֲגַג, Persa vel Medus, ex cujus stemmate Haman ortus. Vide me ad Esther. III, 1. Sed vereor ut libro ulla consuli arte possit: nec Persicum sonare nomen videtur; quod enim Simonis in onomastico p. 105. ad Persicum أُوج *altitudo*, refert, (forte ut Persica multa sunt Germanica, *hoch*, *high*) grammaticam adversariam habet, nulla ratione duplicis G se offerente. Mihi potius derivandum nomen ab أجّ videtur, quod *ardoris* significatum habet, unde et أجوج *ardens*, *rutilans*, *flammens*.

אֲגָגִי *Agagita.*

In solo Estherae libro, sed in illo multities de Hamane occurrit, primo loco, c. III, 1. *Ex Agagi, regis Amalecitarum, prosapia ortum*, intelligunt Judaei, indeque congenitum odium quo Judaeos prosequebatur Haman, repetunt: recte illi, ut opinor, si de vocabuli significatu, non de veritate historiae, quaeritur. Praeiverat jam tribulibus Josephus, Ant. XI, 6, 5. Ἀμάνης, Ἠμαδάθου μὲν υἱὸς, τὸ γένος Ἀμαλεκίτης, — et paulo post, καὶ γὰρ φύσει τοῖς Ἰουδαίοις ἀπηχθάνετο, ὅτι καὶ τὸ γένος τῶν Ἀμαληκιτῶν, ἐξ ὧν ἦν αὐτὸς, ἀπ' αὐτῶν διεφθείρατο.

In hoc autem nomine maxime duplex verſio Graeca notanda, utraque obſcura, fabularumque mendacium, ut videtur, tenebris involuta.

1) Plerumque graeco libro eſt, Βουγαῖος, ſic c. III, 1. itemque in his, quae Graecus liber ante caput primum addit. (c. XII, 6. additamentorum libri) Nomen obſcurum, atque, ac ſi nullius ope indigeret, nuper etiam in *Bielii lexic. ex LXX* praetermiſſum: nec expedio, ſed diſſimulare tacitus ignorationem nolim.

Duorum omnino nominum geographicorum in mentem venit, utriusque Africani, *Boga*, بجا, ad ſinum Arabicum ſub gradu 22 in delineatione Africae Haſaeana quaerenda, marmori Adulitano Βέγα, de qua vide Abulſedae Aegyptum n. LXIX. LXX. ſed quae nihil omnino ad Hamanem, et quam ne fando quidem notam fuiſſe auctori hiſtoriae Eſtherae recte juraveris: altera *Vaga* Numidiae, Abulſedae باجة ſed in nummis Phoenicum forte בעגא, (biblioth. Or. T. VIII, p. 11.) verum nec haec Hamani apta patria.

2) At Eſth. IX, 24. ὁ Μακεδὼν vertitur, inque edicto Artaxerxis, capiti VIII graeci libri inſerto, Haman *Macedo* eſt, tentavitque Perſarum imperium ad Macedones transferre. (Addit. ad Eſth. c. XVI, 10. 14.) Id vero Joſephus idem edictum ſuae inſerens hiſtoriae, exprimit, Ἀμαληκίτης τὸ γένος, ἀλλότριος ὢν τοῦ Περσῶν αἵματος, Ant. XI, 6, 12. — — Quo errore deluſus Graecus aut interpres aut fabulae fictor, Macedones ad Amalecitas? an ad alium Agagum? retulerit, vix conjicio. Hiſtoriaene ignorantia, Thebanos, quorum rex primus Ogyges Phoenicius, cum Macedonibus confudit? an ad hunc Ogygen omnes omnino Graecos et Macedonas retulit? (Phoenices enim et Amalecitas unam gentem eſſe, habitationis modo loco diverſam, alibi diximus. Vide עֲמָלֵק) — —

Non

Non liquet! id unum liquet, ita fabulosum et mendacem scriptorem esse, ut difficile sit, vel errorum occasiones indagare.

אֲגֻדָּה *fornix* Amos IX, 6.

Fasciculum interpretari nostri solent, fasciculumque Dei in terra fundatum ecclesiam volunt esse. *Ecclesiam dei in terra fundatam esse*, theologice vera sententia, sed incondita phrasis, *fasciculum in terra fundare*, ac ne sententia quidem, his quae praeierant apta, *in coelo aedificavit coenaculum, et in terra fundavit fasciculum*, i. e. ecclesiam! A Judaeis tralatitia explicatio: praeierat primus Chaldaicus interpres, Jonathan, כנשתא *synagogam*, vertens, ac Judaeos ut puto magistros sequens Hieronymus, qui cum olim in Vulgata, *promissionem suam*, legeretur, *fasciculum*, male substituit.

Mihi quidem אגדה idem esse videtur, quod Arabicum إِجَّارٌ *fornix*, ut Galli dicunt, *la voute des cieux*, quamquam et aliae gentes, licet parcius, phrasin habeant. Fornicem coeli in terra fundavit Deus: poetica phrasis, coelum fornicatum, ejusque fornicis ima videntur terrae incumbere, horizonte sustentata.

Etymon si cupias, non solum non nego, sed et sumo cum aliis lexicographis אגד esse, *colligere, coagmentare*, hoc autem transfertur ad aedificium firmiter exstructum, quod Arabibus est موجد, maxime ad fornicatum opus suo se nisu adversantium et compactorum lapidum sustinens.

Liceat et aliarum interpretationum antiquarum rationem reddere, quamquam veras non habeam. Ἐπαγγελίαν verterunt LXX, exque his latina antiqua, *promissionem*, ac (forte ex correctione Jacobi Edesseni) Syrus ܡܘܠܟܢܗ: *roborandi* forte significationem in animo habuerunt, quam verbum apud Arabes in 4ta adhuc conjugatione أَجَدَ

أَجَدَ servat. Series significationum haec nisi fallor, 1) *ligare, constringere*, unde nomen et *manipulum*, et Jes. LVIII, 6. *vincula* denotat. 2) a constringendo et robur dicitur, quam significationem maxime apud Arabes habet; a robore et firmitate 3) fornix firmae compaginis et structurae, ipse se sustinens.

אַגָּן *lagena*, *phiala* &c.

Receptam a lexicographis significationem firmat, etymonque addit Arabia: أُجَّانَةٌ *lagena, phiala, crater, hydria labrum*, ab أَجَنَ *lavare, eluere*, quod verbum et de fullonibus, vestes purgantibus, ponitur. Syris quoque ܐܰܓܳܢܳܐ *hydria*, in qua vasa abluebant Judaei, sicque in utraque versione Joh. II, 6. 7. ponitur.

Caeterum ob sequens אגרטל moneo, Exod. XXIV, 6. אגנות manifeste de phialis poni, quibus sanguis victimarum spargendus excipiebatur.

אֲגַפִּים *brachia*, *exercitus*.

Nomen aliquoties ab Ezechiele de exercitu positum, sed ei soli privum, unde verisimiliter a lexicographis ad Chaldaicam originem refertur. Conferunt אַגַף *ala*; in quo tamen est, quod non omnino placet. Fac Orientalibus, quae latinis *cornua* sunt, ut nobis, *alas* dici; mirum tamen toties alas exercitus pro toto poni exercitu. Atqui אגף etiam *brachium* est, (Buxtorf. p. 24.) malim ergo *brachia* regis pro exercitu poni, plane ut a coaevis, Dan. XI, 15. 31. Ezr. IV, 23. Sic et accepisse putem LXX. et Syrum, qui Ezech. XII, 14. vertunt ἀντιλαμβανομένους αὐτῷ, et ܡܥܕܪܢܘܗܝ ܠܗ. Vide me infra de זרוע, et jam dictos interpretes Ps. LXXXIII, 9.

אגרטל

אגרטל *phiala.*

Ipsa pene res clamat אגרטל, semel Ezr. I, 9. lectum, et אֲגַן, synonyma esse, quo et loco Syrus ܐܓܢܐ reposuit; *phialas* habet Vulg. σπονδεῖα i. e. *vasa libatoria* liber Graecus apocryphus. Ad etymon quod attinet, nolim cum Rabbinorum quibusdam קרטיל conferre, ex graeco κάρταλλος *cophinus*, *corbis*, ortum. Graecae originis vocabulum in libro sub Cyro scripto vix exspectaris; quod nisi esset, graecum κρατὴρ melius quam κάρταλλος significationi nominis conveniret. Mihi quidem ex multis jam annis potior ea visa sententia, quam mihi aut praeivit, aut certe monstravit, Abenezra, *pateras* interpretatus, *quibus victimarum sanguis excipitur.* Thalmudi, ut ille monet, Hierosolymitano אגרטלים sunt שאגרים שם דם, *ubi colligunt sanguinem.* Nempe אגר est colligere, et טל Arabibus طَلّ *sanguis.* Neque id ita dictum velim, ut ad has solas altaris pateras nomen referam, potest ejus significatio latius patere, inque Ezrae loco, ubi paterae sunt aureae, libatorias vini non male intellexeris. Opponi huic origini puncta plur. constr. אֲגַרְטְלֵי posse video: sed eorum quis rationem habuerit? Mutanda videntur, vel Thalmudicis auctoribus et rescribendum אֲגַרְטְלֵי.

Ψυκτῆρας i. e. *vasa majora, inde dicta, quod vinum in illis refrigeratur*, habent LXX, exque iis Josephus Ant. XI, 1, 3. et Arabs بَرّانَة. Non etymon, sed rem, hydriam majorem, exprimere voluerunt.

ארב *obstupuit.*

Semel occurrit, ac sine varia lectione 1 Sam. II, 33. לאריב את נפשך. Metathesin plerique literarum statuunt, pro לדאיב (quod verbum infra sub Daleth vide) sed ea vix opus esse videtur, ipso verbo

ארב Arabibus usitato, et vero apta huic loco significatione. أَرَبٌ est, *res stupenda*, unde nulla literarum transpositione vertes, *ut obstupescere te faciam*, intelligesque, *de attonito stupore* ob ingentia sibique invicem succedentia infortunia.

Quod si tamen lectionem mutare volueris, et לְרָאִיב reponere, non obnitor, ac forte antiqui interpretes ita legerint.

אָדַם , אַדְמֹנִי , אֲדַמְדָּם , אֹדֶם , אָדָם *verbum et nomina coloris.*

Rubrum colorem haec verba designare nullum dubium est, sed plerumque neglectum lexicographis, quod non solum perfecte rubrum colorem, ut, qualis est, sanguinis, sed et alias ejus declinationes designent. Hoc ergo addendum.

1) Ad rubrum colorem etiam refertur fuscus: Arabibus أَدِمَ *fuscus fuit*, أَدُمَ *fuscus factus est*, أَدَمُ pro آدَمُ *fuscus, olivaster*, qualis est hominum color sub ferventiore coelo, antequam plane nigri fiant. Manifestum, sic saepe in Hebraico codice poni, (plane pro nostro more) *a*) de lentium colore, Genes. XXV, 30. *b*) de puero fuscum aut pilum aut cutem, cum nasceretur, habente Genes. XXV, 25. sanguineo enim colore nemo nascitur. *c*) de vacca fusca, quam et nos Germani, *roth*, dicimus, Num. XIX, 2. *d*) de equo fusco, Zachar. I, 8. VI, 2.

2) אדמדם de lepra positum Levit. XIII, 19. 24. 42. non est ipse rubens color, sed, sive *violaceus*, sive *ad album deflectens*. Violaceas maculas ipse in leproso vidi (sartore ad quem visendum Vogelius me advocabat, quod ex meis quaestionibus Arabico itineri paratis intelligeret, leprosum esse, ad quem nimis sero vocaretur) notavitque Peyssonnel, in *philosophical Transactions* T. 50. P. 1. p. 39. *livid red Spots*, et p. 43. *spots of a livid violet*

let colour. Sed et ad album deflectentes observavit *Schilling de lepra* p. 7. "*rubrae maculae in pallidam vergentes.*" Hoc quidem Mosi aptissimum, qui אדמדם et לבנה conjungit.

אדם *homo, nomen proprium primi hominis.*

Nomen proprium primi progenitoris mortalium, quod soli Hebraicae atque Phoeniciae linguae vernaculum fuisse videtur. Habent quidem et Arabes, Aramaeique, sed fere ut omnes prope orbis terrarum gentes, a Judaeis Christianisque acceptum, unde et eo rarius utuntur, nec nisi ubi historiam ex sacris literis tralatitiam referunt; quin in vertendis bibliis aliud plerumque nomen substituunt.

Phoenicibus quoque suum *Adamum*, non humani quidem generis, sed tamen gentis, satorem, fuisse, in Spicilegio geographiae T. II. p. 14. 15. docui. Sanchoniathon illum (apud Eusebium l. I. Praep. evangel. c. 10. p. 36.) *αὐτόχθονα* (*ex terra ortum*) et *ἐπίγειον* (*terrestrem*) vocat, deque eodem forte sermo, si Vulgatam sequaris, Jos. XIV, 15. *urbs Arbae, qui est Adamus, maximus Anacaeorum.* Vide l. c. copiosius scripta.

De nominis etymo multa disputantur, disputarique plura possent: sed nolim his lectorem incertis fatigare, primorum enim nominum et conceptuum origines saepe latent, verbumque אָדַם forte non radix est sed derivatum a nomine proprio, aut ita obscure cum illo connexum, ut persequi filo nequeamus. Unum modo refellendum putem turpissimum errorem, quamquam vel ab antiquissimis ipsoque Josepho tralatitium (*), *Adamum ab* אדמה, *terra rubra, dictum, quod ex terra rubra creatus sit.* Nunquam אדמה *terra rubra*, sed omnino et generatim, *terra*, nec ex rubra terra homo factus, qui mortuus in cineream

(*) vide Buxtorfii lexicon

cinereaṁ humum reſolvitur. Melius quidem eſt, quod Euſebius in lexico nominum addit, (Hieron. Op. T. II. p. 182.) γηγενής, *ex terra ortus*, convenitque cum his, quae Sanchaniathon habet. Idem etymon ſequutus videtur Paulus, 1 Cor. XV, 47. 48. χοϊκὸν ἐκ γῆς opponens Κυρίῳ ἐξ οὐρανοῦ, atque, ἐπουρανίῳ.

אָדָם licet et poſſit adpellative, *hominem* ſignificare, tamen quia origine eſt proprium, pluralem non habet, pro quo בני אדם *filii Adami* dicitur. Idem et in ſingulari fit in Chaldaizante ſcriptore, Ezechiele, בן אדם, *homo*: nempe Aramaei eousque adſveverunt, pro, *homo*, dicere, *filius hominis*, ut vel ubi de primo homine, qui patrem non habuit, (τῷ πρώτῳ ἀνθρώπῳ) ſermo eſt, verſio Syriaca ponat, ܒܪܢܫܐ ܩܕܡܝܐ *Adam primus hominis filius* 1 Cor. XV, 45.

Hic vero manifeſta linguarum Orientalium ignorantia, atque argumento a particulari ad univerſale (ab uno loco Pſ. XLIX, 3. eoque dubio) inſignis error, forte ex Kimchio male intellecto arreptus, in pleraque lexica dimanavit, בן אדם *hominem de plebe*, ſignificare; quod a theologis quoque ad tabulas N. T. translatum, ut nomen Chriſti, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, *viliſſimum et contemtiſſimum de faece plebis hominem*, interpretarentur. Nullus certe locus eſt codicis Hebraici, eo excepto quem indicavi, ubi vel ſuſpicari poſſis בן אדם ita contemtim poni: Ezechiel quidem, quem Deus adfari ſolet בן אדם, non de faece plebis erat, ſed ſacerdos, id vero eſt, Judaeus nobilis: pſalmum LXXXI. legens, quis tam inſcitus eſſe poſſit, ut putet בן אדם v. 18. contemtim poni? quis non intelligere ſibi videatur, honorifice ſumi?

In ipſo quidem, quem dixi, loco Pſ. XLIX, 3. ubi בני אדם et בני איש diſtinguuntur, mihi quoque veriſimillimum, בני אדם eſſe, *homines univerſim*, et בני איש *filios virorum inſignium*; nec obnitor,

nitor, quin et ad Jes. II, 9. LII, 14. transferatur, ut factum est a bonis lexicographis et interpretibus: sed hoc non eo valet, ut extra oppositionem בני אדם solum vulgus significet, aut בֶן אדם contemtus caussa ponatur; nec homines universim, generosis oppositi, faex plebis.

Caeterum vel de ipso loco palmario psalmi 49 monendum, ne ibi quidem rem indubiam esse, interpretationem certe non antiquam, sed si bona recentioribus, Abenesrae, Kimchio deberi. LXX quidem γηγενεῖς interpretabantur, id est, ut mihi videtur, *gigantes*, *genus antiquum terrae*, *irreligiosos*, *Titaniam pubem*, (vide bibl. Or. T. XII. p. 155. 156.) exque illis Vulg. *terrigenas*, Arabs, اولاد الارض, — — similiterque Syrus, ܒܢܝ̈ ܐܪܥܐ (*filios terrae*) exque illo Arabs Maroniticus, اهل البلاد *populos regionum* (omnium): incertum, utrum ארמה legentes, quod quidem in codice Kennicottiano nullo repertum, an אדם audacter, *terram*, vertentes. — — Contra, Chaldaeo interpreti בני אדם erant, *filii Adami primi*, i. e. omnes populi mundi, et בני איש *filii Jacobi*: Raschio בני אדם, *filii Abrahami*, *qui ab Anakitis vocatus sit homo magnus*, *connumeratis Ismaelitis et Keturae filiis*, בני איש *filii Noachi*, *qui vocetur vir justus*, i. e. omnes homines. Me quidem haec minime delectant; discimus tamen ex illis, quam vel in uno loco palmario non dubia modo, sed et ignota fuerit significatio, ad interpretationem nominis plus quam octogesies in N. T. obvii, a recentioribus translata.

אֶדֶן *basis*.

Semel singulariter occurrit, Exod. XXXVIII, 27. inque eodem libro multoties pluraliter, de basi duplici argentea columnarum tabernaculi, qua terrae adhaerent, infixaeque sunt. Eodem plane significatu semel recurrit, Cant. V, 15. de basi aurea columnarum: et figurate Job. XXXVIII, 6. Plane autem non habent reliquae linguae ori-

 entales,

entales, in radice אדן ejusque derivatis valde ab Hebraica ſejunctae: unde fit, ut nulla verſio vocabulum ponat harmonicum, ſed, סמכין et ܣܡܟܐ (*fulcra*) قاعدة, *fundamentum*, et Samaritanus לבנה, (*laterem?* an, *fuſum* ex metallo? vide enim me ſub לבן).

Tabernaculum conventus cum, Moſen ſi ſolum audias, nec ei recentiora interpretum commenta addas, in nudo ſolo, pro tentorii more, collocaretur, ex ipſa rei natura conſequi mihi videtur, has baſes in terram alte adactas, ac forte, ut id fieri melius poſſet, in acumen deſiiſſe: ergo licet vocabulum, *baſes*, quod LXX et Vulg. habent, non displiceat, praeplacet tamen adhuc, καταπηγες, Symmachi Job. XXXVIII, 6. Svidae καταπηγες ſunt, *pali in aqua defixi*, ac forte de illis cogitavit Symmachus, viſaque ei terra maribus ſuperſtructa: ſed et eodem jure in nudum ſolum adacti pali καταπηγες vocari poſſunt.

Etymon ignorare velim, reliquis linguis nos deſtituentibus, quam comminiſci falſum: conjecturam tamen tento, ד Aramaeo more pro ז poſitum eſſe, ac conferendum Syriacum ܐܕܢܐ, Arab. أُذُن *auris*, *anſa*.

אדון *dominus*.

Id unum de voce notari velim, non habere Arabes, Aramaeos, ac ne Samaritanos quidem, ſed ſolos Hebraeos ac Cananaeos, his enim uſitatum fuiſſe, et ex nomine proprio Cananaei regis אדני בזק, (quod forte in dubium vocari, et, *dominus Bezekae* adpellative verti poſſet). ſed et ex Plauti Poenulo liquet, ubi Poenulus obvium ſalutat, *Havo Adoni*.

Ipſum nomen divinum

אֲדֹנָי

ſolis Hebraeis privum eſt, licet et a Syris, ubi Judaica verba imitantur,

tur, ponatur, ut in inſcriptione pſalmi CX, itemque Pſ. V, 1. 2 Paral. XX, 17. et p. 30. chreſtomathiae Syriacae.

אדר indeque אַדִּיר, *fortis, aries.*

Interpres pſalmorum vertere ſolet per θαυμαστὸς, θαυμαστῶς θαυμαστόω Pſ. VIII, 1. 9. XV, 2. LXXV, 4. XCII, 6. alibi per δοξάζειν, μεγαλύνειν.

Nullam opem fert Arabia, *herniam* ſub أدر habens. Ad verſiones ergo et contextum recurrendum.

Prima vis verbi, ad quam pervenire poſſum, fortitudinis eſſe videtur. Hanc veteres exprimuit, ut Jud. V, 13. LXX. δυνατοι

Jerem. XXV, 34. ܕܟܪܐ ܕܥܢܐ pro *arietibus* Syr.

Jerem XXX, 21. LXX. ἰσχυρότεροι.

2 Paral. XXIII, 20. LXX δυνατοὶ. Vulg. *fortiſſimi*, Chald. גבריא

Pro hac ſignificatione eximius locus eſt, Judic. V, 13. ubi qui in priore membro ſunt אדירים, in altero hemiſtichio גבורים. 2 Paral. XXIII, 19. aut *fortiſſimi* ſunt, aut ducum genus, a fortitudine, an aliunde nomen habens.

Hinc

2) אדירי צאן ſine dubio ſunt *arietes* Jerem. XXV, 34. 35. Habent et ibi v. 34. LXX. κριοι et v. 35. Syrus ܕܟܪܐ. Hinc, et menſem Martium, quo ſol in arietem ingreditur אֲדָר, ܐܕܪ, أدار dictum puto: ſed de eo infra. (*Pellem*, arietis ut puto, verterunt LXX et Syr. Mich. II, 8.)

3) Fieri poteſt titulus honoris. Sic LXX Jerem. XIV, 3. vertunt, μεγιστάνες, — — Syr. et Chald. Jerem. XXX, 21. REX, — — Vulg. Jerem. XXX, 21. *dux*.

Hoc

Hoc sensu mihi plane poni videtur Judic. V, 25. ubi lego בְּסֵף לאדירים *in scypho magnatum.*

4) Hinc et θαυμαστὸς ac θαυματουργὸς nomen accepit: nempe *magna* facere est, *miracula* facere. Confer Chaldaicum גְּבָרוֹ.

De Genes. XLIX, 7. ubi Samaritani ארור in אדיר mutarunt, verteruntque, *laudabilis*, *gloriosus*, vide biblioth. Or. T. XXII. p. 137. 138.

אַדֶּרֶת *pellis arietis.*

אַדֶּרֶת proprie μηλωτή, ut solet a LXX verti, ab אדיר *ariete* dicta, cujus pellis pro vestitu est. Sic ponitur Genes. XXV, 25. 1 Reg. XIX, 13. 15. 2 Reg. II, 8. 13. 14. Zachar. XIII, 4. ubi אדרת Eliae est aliorumque prophetarum.

Obverti hic posse video Jos. VII, 21. 24. et maxime Jonae III, 6. ubi אדרת regius sit ornatus. Sed salva res est; possunt et pelles regum illustriumque gestamina esse, apud nos *Hermelin*, *Zobeln*, *schwartze Sibirische Lämmerfelle*, *Wildschuren* &c. ita ut vel Electores pellibus ornati pingantur. Nec id abludit ab Orientis moribus. Itineratores testes sunt, pelles et in hunc usque diem, idque in calidiore etiam Aegypto, magnatum gestamina esse. Niebuhr *Reisebeschr. Th. I. S. 158.* Sic et apud eundem T. II. p. 235. munus sunt, in calidissima Bassora dari solitum, p. 317. Bagdadi, p. 446. apud Drusos in Libano. Saepissime id me et alibi legere memini, sed oblitus sum, ubi. Forte et Jos. VII, 21. אדרת שֵׂעָר legendum, pro שנער (*). Vide quoque 1 Maccab. XIII, 37. (βαίνη vel potius βαΐτη) quaeque ibi de hoc vocabulo notavi.

אדר

(*) Video, codicem Kennicotti 252 sine Nun habere שֵׂעָר, ut conjeceram.

אֶדֶר *pellis arietis.*

Bis occurrit, Zach. XI, 13. ubi significationem, *mirandi*, et *magni*, quem ei interpretes tribuunt, nec recentiores solum, sed et veteres, Aqu. Vulg. Syrus, sine dubio habet: atque Mich. II, 8. quo de loco aliter statuendum putem, pellemque arietum, ornatus caussa gestatam, intellexerim, quia cum vestibus componitur. (Vide vers. germ.) Praeiverunt quodammodo LXX et Syrus, *δοϱὰν*, et ܡܫܟܳܐ (*pellem*) vertentes, alio licet sensu, ipsiusque hominis pellem intelligentes. Quod si ibi et ex אַדֶּרֶת alia literis subjicere puncta placeat, אֶדֶר neutiquam me habebis adversantem.

אֲדָר *mensis duodecimus, Martius.*

Mensis duodecimi nomen, quem, quantum in anno lunari fieri potest, nostro respondere Martio, neutiquam ut plerique lexicographi tradiderunt, Februario, cum aliis argumentis constat, quae in commentatione de mensibus Hebraeorum exposui, tum ex lingua Syriaca et Arabica, cui ܐܳܕܰܪ, اذار (*) *Martius* est. Vide ibi de Syriaco et Arabico nomine scripta pag. 32. 33. 34. exque patris schedis excerpta p. 52. 53.

Non invenitur, nisi in libris post reditum ex Babylonia scriptis, Ezrae c. VI, 15. Estherae, multoties, et Maccabbaeorum. (1 Macc. VII, 43.) Possit ergo nomen esse a Babyloniis acceptum, Mosi et ante exsilium inusitatum.

Etymon

(*) Scribunt aliquando Arabes et اذار (vide Golium p. 55.) sed per errorem in grammatica Arabica p. 25-27. notatum, اذار est mensis Persarum, a nostro plane diversus: noster in calendario Syrorum et Chaldaeorum sextus, اذار in Persico, nonus, ab igne nomen habens, quem Persae ita dicunt.

Etymon ſatis manifeſtum, חדש אדר *menſis arietis* (vide quae p. 23. de אדיר ſcripſimus) indicio, eo mundi diu ante nos tempore hunc menſem a Chaldaeis nomen accepiſſe, quo maximam ejus partem ſol in ariete erat: maximam inquam partem, non totum menſem, quod, in menſibus lunaribus non niſi rariſſime accidere poteſt, fluctuant enim, ſole aliis annis paulo ante, aliis paulo poſt novilunium in ſignum zodiaci ingrediente.

Nempe motus adparens fixarum ſtellarum in longitudinem, unius per 72 annos gradus, facit, ut ante aliquot annorum millia alio, quam nunc, die et menſe ſol in arietem ingreſſus fuerit, de vero autem ingreſſu loquor, non de eo, quem nunc calendaria et aſtronomi, priſca phraſi ſervata, ingreſſum in arietem dicunt.

Ut nunc res coeli ſunt, (anno haec 1783 ſcribo) vere ſol in arietem ingreditur die 25 Aprilis.

At die 21 Martii (qui noſtris calendariis ingreſſus in arietem dicitur) ipſoque aequinoctio vernali, in arietem ingrediebatur vere et proprie ante 2493 annos, id eſt, Hiskiae tempore, ſeu, ut a majore facto annum inſigniam, primo anno regni Medorum, quo Dejocem regem crearunt.

Ante 4000 annos primo Martii die arietem ingrediebatur, id vero eſt, ex communi computo, plusquam duobus ante natum Abrahamum ſeculis, ex meo (*), *centeſimo ſexto vitae Abrahami anno.* Hoc ergo tempore recte et optime arietis nomen Babylonii menſi ſuo ſexto, Iſraelitarum duodecimo, indiderint: nec de anno praeciſe loquor, ſed de tempore, de ſeculo, plures enim tum per hominum aetates maximam ejus menſis lunaris partem ſol in ariete verſabatur. Sed forte propius etiam a vero perfecto, quam ſperare audeas, numerus

4000

(*) *Goettingiſches Magazin*, *erſter Jahrgang*, *fünftes Stück* p. 163-205.

4000 abest, cum in annum ante nos 4017. incidat initium ephemeridum coeli Babyloniarum, qui enim anno ante nos 2114 Babylonem intravit Callisthenes, ephemerides ibi 1903 annorum invenit. Eo tempore forte et aliis mensibus Aramaea nomina astronomi duxerunt, sed unus mensis Adar expressius habet seculi, quo nomen accepit, indicium.

אַדְרַמֶּלֶךְ *Adrammelech, idolum.*

אדרמלך et ענמלך, *Dii Sippharenorum sacrificiis humanis placati* 2 Reg. XVII, 31. commemorantur, plerisque lexicographis plane omissa, quod nomina propria essent; male me arbitro, Deorum enim nomina quis in lexico non suo sibi jure quaerere videatur? Equidem certi nihil de illis habeo, sed conjecturam tentare licuerit. Rex, sol maxime, utpote rex coeli ejusque astrum primarium, vocari a cultoribus Deorum solebat; duplicem hic videmus regem: quid? si ab ארר vix dum memorato אדרמלך sit, *sol in signo arietis*, i. e. *sol vernalis*. Consequi videtur, vi oppositionis, ענמלך *solem esse autumnalem, in signum librae ingressum*. Sed hic me, fateor, etymologia destituit, quae si se obtulerit, antequam ad ענמלך devenero, tum demum satis verisimilia conjecisse videbor. Ergo dubitemus.

Plerique intactum nomen transierunt: alii veri dissimilia aut falsa conjecerunt. Relandus de *vetere lingua Persarum* §. 9. Persicum آذر vel آزر, *ignis*, confert, vultque esse ignem pro deo cultum, cui combusserint filios. Perquam ille docte, et perquam indocte: Persicum vocabulum tempore Assyriorum regum, diu antequam Persae emerserunt, vix exspectaverim: hujus autem loci minime est, igni enim, Deo bono Persarum, humanas victimas oblatas fuisse, quis auctor est?

Jo. Gerardus Lette in *bibliotheca Bremensi nova fasc. 1. n. 2.* Saturnum interpretari ausus est, hactenus verisimiliter, quod et Saturno ingenui mactati sunt, et nomen ei מלכם fuit, ut infra videbimus. Sed in ארך pro more suo etymologiis ludebat, *tardum regem*, Saturnum dici autumans: nempe ex Schultensio sumebat, quod unica conjectura nitebatur, ארך ex etymo esse, *tursit*; hinc, quia turgidi tarde eunt, faciebat, sola conjectura duce, *tardus fuit, tarde incessit*. Hos quidem lusus etymologicos repudio, non ipsum Saturnum, velimque de eo adcuratius quaeri. אדרמלך et ענמלך opponuntur sibi, aut, si malis conjunguntur: duplex coli Saturnus queat, *progrediens*, et *retrogradus*.

Ex neutra datarum derivationum caussa adparet Dagesch in מ positi; verisimiliusque videtur, אֲדַרְמֶלֶךְ adpellandum esse. *Adramelech* tamen, quamquam cum uno M, jam habent LXX. et Vulg.

אדרכמון

vide in דרכמון, idem enim nomen esse videtur, praeposito, quod in exoticis frequens, Aleph prosthetico.

אדרעי

Nomen proprium urbis, ad quam praelium commissum Num. XXI, 33. Deuteron. I, 4. His quae de ea habent, Relandus p. 547. et Bachiene §. 836. addo Arabicum nomen أَذْرِعَات (sic enim scribendum teste Abulfeda p. 50. 51. Syriae, scriptumque ab Arabe Pol. Num. XXI. neutiquam, ut Deuteron. I. vitiose legitur, أذرعات aut Jos. XII, 4. ازرعات) et descriptionem Abulfedae p. 97. cujus meam versionem dare malim, quam Koelerianam: *Edregath, ut in Azizi* (libro celebri geographico) *refertur, urbs est regionis Bataneae* (بثانية).

(بثانية Basan) (*), *a qua ad Amman* (metropolin Ammonitarum, Graecis Philadelphiam) *sunt 54 milliaria*, ($56\frac{2}{3}$ in uno gradu, adeoque prope 15 milliaria germanica) *et ad Sanamein* (صنمين i. e. Aschtaroth Karnaim (**) *18 milliaria: est autem Sanamein regionis metropolis. A Sanamein ad Cosvam* (كسوة) *vicum et stationem itineris ad fluvium Ogi* (ab Ogo, rege, ut videtur ita dictum, نهر العوج) *ex monte nivali* (جبل الثلج summo Libani jugo) *orientem, 12 sunt milliaria, et a Cosva Damascum iterum 12 milliaria, interjecto colle adclivi, Okbat-alschachure* (عقبة الشحورة) *dicto. Cosva autem Damasco ab austro.* — — Ergo inter אדרעי et Damascum sunt 24 milliaria Arabica, Germanica circiter $6\frac{1}{2}$. Manifestum ex hac situs descriptione, multo magis ad boream deflexisse Mosen, quam vulgo putatur, quippe qui septimo a Damasco milliari germanico transitum tentans, praelium commisit. Caeterum de gradu latitudinis nihil certi habet Abulfeda, ex Athval, gr. 31. min. 35. quae nimis australis est positio, ex aliis, et aestimatione gr. 32. min. 20. quod geographiae mathematicae perito omnino videbitur vero propius. Id adhuc unum addo, Abulfedam p. 50. ut a Koelero editus est, *praefecturae Damascenae* hanc urbem attribuere, atque addere, *sed Azizi attribuit Bataneae.* At vero Parisiensis, quem gratia Regis Galliae contuli, habet, من حوران *ex Auranitide.* Vides, ipsum geographum, qui haec loca nunquam adierat, ambigere, et jam hos sequi jam alios.

Liceat et pauca excerpere Nubiensis verba, Clim. III. Sect. 5. pagina a fine sectionis quinta, infima, vel versionis latinae, p. 117. Arabica

(*) Hic aliqua, et Koelero in praefatione, et mihi, dubia et obscura, volens sciensque omitto, ne quaestionem impediam.

(**) Vide lex. sub עשתרות

bica sunt: ومن دمشق الى اذرعات وهى البثنية اربع مراحل quae Gabriel Sionita vertit, *a Damasco ad Adhreat, quae est Bithynia, stationes quatuor.* Hic primo suspicari possis, paulo plus interstitii inter utramque urbem esse, quam 24 milliarium, minimas enim stationes 12 milliaribus aestimare solent Arabes; sed hoc incertum. Deinde videmus, aliud quoque urbi nomen esse, بثينية quod nolim cum Gabriele Sionita, *Bithynia,* efferre, sed بُثَيْنِيَّة *Butainia*, i. e. *Batanea minor.* Nempe duae fuerunt regionis metropoles, *Aschtharoth* et *Edrei*, Jos. XII, 4. utraque forte Batanea dicta. Urbem Bataneam geographos exteros habere, jam monuit Koelerus, p. 15. not. 67. ad Abulfedae Syriam, eamque nostram ipsam اذرعات esse, ex aliquo Abulfedae loco suspicatus est: nec obniterer, quin ejus nomen et omisso primo Jod بثنية scriberetur, modo ita scriptum in codicibus Nubiensis reperiatur. Addo et 1 Paral. V, 15. בשן ut nomen urbis poni: quamquam ibi potius primariam regiam, Aschtheroth Karnaim, intellexerim.

Caeterum Arabica scriptione nominis detecta, nemo delectabitur derivatione nominis, quam Simonis habet p. 453. onomastici. اذرعات aut, *brachia* significabit, aut, *sativa*, aut, ut مذراع *regionem mediam, inter cultam et desertam.* Sed parum refert, dummodo errore vacemus.

אהב

In amandi significatu soli linguae Hebraicae et Samaritanae privum, Syris plane obsoletum, Arabibus aliud significans; *instruxit, armavit.* Reliqua amandi verba, חבב, ידד, רחם, Hebraeis rariora, sed in aliis dialectis frequentiora.

Unus locus est psalmi CXVI (plura insolentiora et peregrina habentis) v. 1. cui sine ellipsi duriuscula consveta significatio vix satis apta:

ta:

ta: nisi forte, *amare*, ex Arabum usu accipias, *optare*, *amo ut*, i. e. *utinam!* (Gramm. Ar. p. 132.) Praeivit Arabs et Pol. et Maroniticus, احببت ان يسمع الرب quae verba nemo Arabicae linguae peritus aliter intelliget, quam, *utinam audiat dominus.* Sic tamen non כי, sed alia particula, ut אשר, sequi debuisse videtur. – – Estne ibi, sed intransitive, significatu Arabico positum: *instructus*, vel, *armatus sum*, *quia dominus preces meas audit.* Certi nihil habeo, sed vel conjecturas celare lectores nolui in loco obscuriusculo.

אֹהֶל *tegumentum tentorii exterius.*

Dubio vacat, tentoria generatim (omnia, et tota) hoc nomine dici: sed praeter hanc generalem significationem quam nemo ignorat, alia specialis notanda, Mosi et in describendo tabernaculo conventus, et Jobi libro priva. Ille quidem in tabernaculo, quod dixi, distinguit 1) משכן *habitaculum*, decem aulaea intima atque elegantiora, asseribus imposita, et 2) אהל, duodecim alia aulaea ex pilis caprarum contexta, quae his imponebantur. Exod. XXVI, 1. 7. (לאהל על המשכן) 14. XXXVI, 8. 14. 19. XL, 2. 18. 19.

Eodem jam modo magnificentius tentorium injustorum Job. XXI, 28. אהל משכנות vocatur, *tegumentum tentorii interioris*, *aulaeorum superborum.* Pro synonymis habere noli, ut enim de languore tautologiae nihil dicam, qui duo componere synonyma voluisset, eum scribere oportuisset, אהל ומשכנות.

Huc quoque retulerim Prov. VII, 17. ex varia lectione, mihi potiore visa, ואהלים קנמון vel ואהלי קנמון, *et aulaea* (lecti) *cinnamomo consperst.*

אהלה

אהליבה et אהלה

Duo nomina propria ficta ab Ezechiele c. XXIII, 4. seqq. quae aliis mihi punctis efferenda videntur, אָהֳלִיבָהּ *tentorium meum est in ea*, Hierosolyma, quae verum dei templum habebat: אָהֳלָהּ *tentorium suum*, Samaria, quae suum sibi pro lubitu injussu dei sacrarium condiderat.

אֲהָלוֹת *xylaloe.*

De vocabulo bis lecto, Ps. XLV, 9. Cant. IV, 14. et bis praeterea, si puncta sequaris, terminatione masculine אֲהָלִים Num. XXIV, 6. Prov. VII, 17. eruditissime et copiosissime magnus disputavit Celsius, T. I. hierobotanici, p. 135-171. fecitque verisimillimum, *xylaloen* esse, Indiae arborem, *agallochum*. Dictis ab eo, quae tota legenda, hic modo aliqua addo.

Xylaloes, quae Belgis ex fabula Orientali *Paradys-Hoot* (*arbor paradisi*) dicitur, cujusque lignum odoratum, magno in honore est Asiaticis, si pleniorem et certiorem descriptionem cupias, consules Rumphium lib. II. cap. XI. XII. XIII. *herbarii Amboinensis* (p. 29-40. tomi II.) qui et ad paginam 38 ramum arboris et fructus aere expressit. (tab. X.) Desideramus adhuc figuram floris, partiumque genitalium, et totius, ut se magnifice oculis offert, arboris. Perquam esse dicitur magna et umbrosa, ligna autem odorata, quorum primaria Calambac dicuntur, secundaria Garo, non nisi summa senectute dare, et vero in quibusdam tantum ramis truncique partibus: fertur et, hanc senectam felicem odore aliquo per silvam sparso, aliisque etiam signis fabulosis aut superstitiosis intelligi, nec arborem sine sacrificiis caedi, ac nocte insequente insomnia divina exspectari, sitne matura arbor, an secus, doctura. Optimum lignum molle, ut unguibus humanis cedat, subsidere etiam in aqua, Calambac praestantissimo

ſimo ſolos reges uti: inde fieri, ut pauci Calambac viderint, idque quod notius, ſecundarium lignum eſſe. In ſilvis naſci auctor eſt idem Rumphius, ſintne autem integrae agallochi ſilvae, quod incredibile viſum Celſio p. 140 diſertis verbis non tradit. Celſius quidem l. c. *integrae ſi ſilvae agallochi eſſent, non aequo auri argentique pondere in ipſa India redimeretur; neque principes ſibi ſoli vindicarent, a quibus ſub poena capitis interdictum, ne India exportetur, vel alio, quam ad ipſos portetur.* Quae quidem argumentatio concidit, lectis quae vixdum de Calambac et Garo exſcripſi, copioſiusque in ipſo herbario Amboinenſi legi poſſunt. Ab aliis tamen idem audierat Rumphius, Sinenſibus maxime, quorum in patria Agallochum naſcitur, *varii generis eſſe arbores, quae aliquando iſtum ſpargant odorem; omnia Calambac fruſta ignotarum eſſe arborum, quas ſuperſtagnantes fluvii in coeno aut palude relinquant, unde computreſcant et quae forte fortuna inveniantur*: de qua tamen relatione dubitat.

Caeterum hujus arboris lignum odoriferum, *carbonibus imponitur*, ut crematum odorem ſpargat, *nec ullum Calambac ſua ſponte, tam fortis eſt odoris, niſi diu manibus conteratur et fricetur, donec incaleſcat.*

In ignoto reliquis linguis Orientalibus vocabulo cum hic pleraque pendeant a veterum interpretum auctoritate, curatius, quam Celſius fecit, de illis referendum puto.

Aloen habet, Vulgata, Pſ. 45. Proverb. 7. Cant. 4., et quidem primo loco adhuc expreſſius, *lignum aloes*, — — Aquila, Cantic. 4. (ἀλώη per Omega) — — Chaldaeus Pſ. 45. et Cant. 4. אלואין ſcribens, (אלואן in Cantico mendum librarii eſſe videtur) — —

Syrus Cant. 4. ܕܟܠܘܒ (vide Syrum utrumque Joh. XIX, 19. ubi eodem nomine Graecum ἀλοη exprimit) — Arabs Cant. 4. عود.

Contra jam hoc, jam illud arripiunt, *casiam* (ܩܨܝܥܬܐ) Syrus Pſ. 45, quo et veriſimiliter referendus Maurus, Num. 24. قشط habens, i. e. *corticem odoratum*, a verbo قشط *denudare*, *decorticare*, Geneſ. XXX, 37. — — *cinnamomum* incertus interpres in Hexaplis Cant. 4. — — *ſtacten* Pſ. 45. LXX. ex illisque Arabs, — — denique ܩܘܪܩܡܢܐ et כורקמא, Syr. et Chald. Prov. 7. quod quid ſignificet incertum. Merae hae de ignotis conjecturae, vel hoc nomine parum veriſimiles, quod caſia et cinnamomum alia nomina Hebraica habent, atque adeo אהלות in Pſ. 45. a caſia, et Cant. 4. a cinnamomo diſtinguitur. Candide ignorantiam faſſi videntur, qui generaliore vocabulo utuntur, Chald. Num. 24. בסמיא, Symmachus Cant. 4. θυμίαμα; aut Hebraicum nomen retinent, ut LXX Cant. 4. Ἀλώθ.

Ergo mihi quoque veriſimillimum אהלות Pſ. 45. et Cant. 4. aloen eſſe, atque adeo ſuſpicor, Graecum ἀλοη non domeſticum, ſed cum merce a Phoenicibus acceptum, nomenque Hebraicum olim alio ordine literarum, אֱלֹהוֹת ſcriptum fuiſſe, *Deas*, vel *divinam arborem* ſignificare poſſet: ſacram arborem haberi, ſupra ex herbario Amboinenſi didicimus. Conjecturam tamen de ſcriptione codex nullus firmavit.

At de אהלים terminatione maſculina, magnopere dubito, posſitne aloe eſſe, illisque potius accedo, qui אֳהָלִים efferentes, ad אהל, *tentorium*, referunt. Fecerunt id Num. 24. ex veteribus plerique, LXX. Vulg. Syr. Arabs Polyglottorum, Samaritanus, et (coelum in tentorii modum expanſum intelligentes) ambo Chaldaei recentiores: denique Prov. 7. LXX τὸν οἶκόν μου vertentes, cum Arabe.

Id quidem manifestum, in Proverbiis aloen locum habere omnino non posse, agallocho enim, ligno odorato, quis lectum consperserit? Quid de loco sentiam vide pag. 31. De Num. XXIV, 6. dubius sum: pulcherrime ibi locum aloe obtinere potest, quam, docente Celsio, paradiso fabula tribuit Orientis, (*ut arbores sacrae paradisi, quas plantavit Jehova*); potuerit etiam arbor Indica et fabula Bileamo, Euphratis accolae, nota esse, quod per sinum Persicum et Euphratem Indica Phoenices commercia exercerent, ipseque, ut solent poëtae, a re extera, cui longinquitas plus admirationis addit, similitudinem desumere. Ad has tamen spes audaciusculas, et interpretum et meas, quae Bileami jam tempore arborem Indiae ultimae, in hunc usque diem ne Rumphio quidem Batavisque visam in occidentali Asia notam fuisse, titubare me quodammodo sentio; obstare etiam videtur, quod Moses inter aromata suffimenti sacri aloen non habet, habiturus, ut videtur, si eo tempore jam innotuisset. Pro *arbore*, et contra *tentoria* facit parallelismus sequentis membri: sed displicet, quod membrum prius majorem et augustiorem habet similitudinem, posterius ad minorem delabitur, *ut arbores paradisi, quas plantavit Jehova, ut cedri ad aquam.* — — Ergo de אהלים masculina terminatione, sitne aloe, N. L.

אַל *donec.*

Ex illis particulae significationibus quas Noldius, et lexicographorum plerique habent, vix satis expediri posse videtur Levit. XXVI, 41. Aliam addiderat Coccejus, *nisi,* loco non ineptam, *contrarius illis ibo, abigamque illos inter hostes, nisi tunc humilietur cor ipsorum.* Rationem ita sentiendi non adjecit, quam addam, incertus, utrum ipse de ea cogitaverit: أَوْ Arabibus in hac constructione pro, *nisi*, ponitur, *verberabo te, aut* (أو) *resipisces*, i. e. *nisi resipueris.*

Probo conatum, sed meliora et aptiora loco suppetere reor. Eadem in constructione أَوْ Arabibus quoque ponitur, pro *donec*, — — *verberabo te, aut resipisces*, i. e. *verberabo te, nec desinam, donec resipisces*. Exempla additu non necessaria, cum res ex Golio nota sit. Sic jam verterim: *abigam te in terras hostium, donec resipiscas*. Occuparunt jam notae J. H. Michaelis ad biblia Halensia, et diu ante, *donec*, verterunt Vulg. et Arabs Polyglottus.

אוֹ num particula exclamandi O!

אוֹ ut particulam exclamandi poni censuit Lud. de Dieu Job. XXII, 11. monens, et Syris ܐܘ admirantis esse, inque ejus sententiam ivit Alb. Schultensius, Arabicum أَوْ et آ conferens. Equidem non ausim praefracte negare, maxime cum varia lectio אוּר a LXX expressa, qua in textum recepta consulere loco Jobi ausus sum, (biblioth. Or. T. VIII. p. 191.) a codicibus Kennicottianis non sit confirmata: est tamen mihi exclamativa significatio suspecta, partim quod Syri suum ܐܘ serius a Graecis accepisse videri possunt, partim quod in exemplis אוֹ admirativi, a Lud. de Dieu collectis, 2 Sam. XVIII, 13. Ezech. XXI, 15. Malach. II, 17. consveta etiam significatio locum tueri potest, unde novae probandae, utut bene eam ferant, non sufficiunt. Jes. XXVII, 5. locus est ita adfectus, ut vix intelligi, certe nihil ex eo probari possit. Vide bibl. Or. Supplementa Tomi XIV. p. 70-76.

Addendam tamen veterum auctoritatem censeo, qua uti de Dieu potuisset. אוֹ pro לוֹא Thren. I, 12. lectum, LXX. Ar. et Vulgata exclamative, ὢ, يَا, O! reddiderunt. Falsa quidem sine dubio lectio, ut ordo versuum alphabeticus arguit, sed auctoritatem dissimulare nolui. Bibl. Or. T. XIX. p. 132. 133.

אֵי Prov. XXXI, 4. monſtrum verbi eliminandum.

Prov. XXXI, 4. in Keri, ac ſecundum nonnullos codices in textu legitur, וּלְרוֹזְנִים אֵי שֵׁכָר i. e. *et conſiliariis nullus ſit potus inebrians.* Loco ejus habet Kethib, אוֹ, quod אוֹ adpellari debuiſſet, et verti, *non regibus convenit bibere vinum conſiliariisque, aut cereviſiam.*

At male vocalem Tſere, quae ad Keri referenda erat, cum textus literis jungentes, אֵי effecerunt, idque verterunt, ut nomen ab אוה, *deſiderium, cupidinem*, potus inebriantis. Monſtrum hoc vocabuli eſt, ex lexicis et commentariis eliminandum, (ingenue fateor, ipſe feſtinanter in verſione germanica hunc ſequutus errorem) nihil enim ad Cthib vocales ei ſubſtratae.

אוב

Ad hanc radicem referunt plura, jure jam, jam injuria.

אֲבוֹת Job. XXXII, 19.

In lexicis audacter ſcribi ſolet אוֹב, licet ea, quam hic ei tribuunt, ſignificatione, nuſpiam ſingulariter occurrat, inque ipſo, ex quo citatur Jobi loco, ſine Vau אֲבֹות legatur in impreſſis, (aliqui enim, non ultra 14, codices cum Vau exhibent אוֹבוֹת): ac prope unanimiter vertitur, *utres.* Non diffiteor, egregie aptam loco eſſe ſignificationem, ſi ipſe ſe ridiculum praebere is, qui verba facit, Elihu, velit, vix enim eum audiens a ſubridendo temperabis, (vide vel verſionem meam germanicam, in qua hoc, quod omnes recentiores, ſequutus ſum): in nulla tamen linguarum Orientalium אוב hanc *utris* ſignificationem habet, ac ne etymon quidem ſatis expeditum ſuppeditant. Nec quisquam veterum ſatis diſerte interpretationem praeivit: ultima ejus auctoritas, Hieronymus, qui magiſtrum ut videtur Judaeum ſequutus, *lagunculas*, vertit, et Chaldaeus, idem vocabulum לגנין habens. Lagenae vero erant teſtaceae, ſed eas paulo (fateor) elegan-

elegantius, et moribus Orientalium similius, in *utres* mutarunt recentiores. En! ut ad utres deventum! Placent, si ridere Elihuum velis; sed id quaeritur, eane dicat, quae philologia duce ad tam acerbos risus transferre possis.

Utres si sunt, ex solo filo orationis exsculpendi sunt, linguis Orientalibus, et antiquis interpretibus nihil pro illis opis adferentibus. Quid Syro placuerit supra sub אב p. 1. dixi, idque et mihi placeret, nisi aliqua obstarent, in lexico non commemoranda, sed in libri interpretatione. At LXX *follem* interpretati sunt, et vero חרשים per Resch legentes, *follem fabrorum, qui rumpatur*, (φυσητὴρ χαλκέως ἐῤῥηγώς): pro quo aliquod certe etymon adferri potest, a calcatione follis, أَوْبٌ enim inter alia *incessus pedum est, qui tollutim fit*, atque adeo, *ventus*. Sed codex nullus illis adstipulatur. — — Summa dictorum, de vocabuli significatu, quem certum sumserunt lexicographi, nondum liquet.

אוֹב *necromantia*, *necromantes*, אֹבֹת et בַּעֲלַת אוֹב *necromantiam exercens femina*.

Ventriloquos fere intelligunt, praeeuntibus LXX, qui plerumque ἐγγαστριμύθους vertunt, (loca a Trommio petes) adduntque etymon, quod venter illorum *utri inflato* similis sit. Etymon, ut vidimus, incerta nititur vocabuli ἅπαξ λεγομένου versione: explicatio ipsa loco primario, in quo אוֹב aliquoties occurrit, et describitur, 1 Sam. XXVIII, parum concinit, nec enim, quae ibi consulitur בעלת אוב, ventriloqua est, sed *mortuos evocat, ut ad interrogata respondeant*.

Ergo potius *necromantiam*, et *necromantas* interpretor, egregie concinente Jesaia, qui c. XXIX, 4. אוֹב *ex terra loqui* facit. Praeivit ad illum locum et nomen et sententiam Hieronymus, dignus quem exscri-

exſcribam: *ut per haec verba ſignificet magorum νεκρομαντείαν, per quam animas evocare dicuntur, et tenues umbrarum, immo daemonum, audire voces.* Nempe umbrarum non eſſe putabatur, clare loqui, ſed

tollere vocem

Exiguam, inceptus ſonitus fruſtratur hiantes

Virgil. Aen. VI, 492. 493. Jeſ. VIII, 19. Plura ſi cupias, invenies in notis ad 1 Sam. XXVIII, 8-19. Hic modo etymon addo, duplici ſe offerente, dubius: آآبَ pro أوب eſt (*), 1) *redire,* potuerit necromantia dici, quod mortuos reducit. 2) *occidit* q. d. rediit in hoſpitium *ſol,* indeque 3) *noctu aliquid fecit.* Necromantia non interdiu exercebatur, ſed noctu.

אִיּוֹב *reſipiſcens.*

Ab eadem radice Jobo, fictae ut puto perſonae, nomen ductum, characterem ejus exprimens, איוב. Nempe آب et ſignificat, *redire* i. e. *converti ad Deum, reſipiſcere*, inque ſec. conj. peculiariter, *laudare Deum, dicendo,* سبحان الله. Hinc faciunt أوّاب *reſipiſcens*, quod in Corano Sur. XXXVIII, 16. de Davide, et v. 44. de Jobo ipſo ponitur: ipſiſſimum איוב, Vau in Jod mutato, quod vel Arabs facturus eſt, vocali I praecedente. Significat hominem, qualis informatur Jobus, *reſipiſcentem, deumque,* contra quem duriuſcula dixerat,

(*) Ordine aliquo digerere tentavi ſignificationes Arabici verbi أوب, nec tamen obnitor, quin et alia tentetur ratio, diverſaeque radices, ſono ſimiles, coaluerint. Golius quidem, ubi ſignificat, *occidit, noctu venit*, ortum putabat ex غاب pro غيب: ubi, *rediit,* pater meus referebat ad ثاب, verba enim primae rad. Eliph et Te ſaepiſſime Arabibus permutantur. Sic ipſi radici أوب ut ſua et propria ſignificatio maneret, *glomerare pedes, feſtinare, tollutim incedere.*

dixerat, *laudantem.* — — Aliorum ſententias, parum veriſimiles non enarro, ex onomaſticis Hieronymi operibus praefixis, et Simoniano p. 270. 437. diſcendas.

Praeter eum Jobum, a quo liber nomen accepit, nullus in ſacris literis איוב comparet; ut prope fictitium, non uſitatum nomen fuiſſe videatur. Jiſſachari filius ישוב Geneſ. XLVI, 13. יוב vocatur, quod poſſit eſſe nomen איוב detruncatum, et ut ſynonymum poſitum pro ישוב (*revertitur*, pro, *reſipiſcens*); ſolent enim Orientales et nominum propriorum ponere ſynonyma: ſed eſt conjectura incerta, cum et poſſit eſſe lapſus perantiquus librariorum, Schin omittentium; ſic certe ישוב, aut legerunt hic, aut, quod potius reor, conjecerunt et ſubſtituerunt LXX et Samaritani. — — Quod autem alii, et vero non pauci ex veteribus, Jobum et Jobabum, יובב, regem Idumaeorum, Geneſ. XXXVI, 33. eundem putarunt eſſe, inſignis error eſt, nec hiſtoricus ſolum, ſed et grammaticus, *Jobabi* enim nomen ad radicem יבב (*clamavit*) referendum. Commiſſus ille quidem, atque ortus, in ipſo Oriente, cum deſtinatum eſſet, *Jobum*, tam clarum virum, cujus nuſpiam praeterea in hiſtoria mentio occurreret, quis eſſet, indagare: ſed et in vernacula lingua ab his, qui grammatice eam non didicerunt, errores grammatici committuntur. Errorem habet Graeca et Arabica libri Jobi ſubſcriptio, ex Syriaco verſa, quamvis Syriace nobis non ſuperſit, de qua vide partem II. ſpicilegii geogr. p. 130-133.

Juba, nomen Africanum nobiliſſimorum regum, noſtro איוב quodammodo concinit; quod ſi ex eo ortum eſt, Aleph abjecto, ut et Latini *Jobum* pro *Ijjobo* dicunt, celebritas forte fictae perſonae, nomini inter Poenos vicinosque uſum dedit. Sed id in incertis relinquo. At Bochartum (in Phaleg et Canaan p. 494. lin. 7.) *Iopae* cythariſtae nomen, quod l. I. Aeneidos v. 740. legitur, confidenter cum איוב conferre, quis probaverit?

אוה *habitavit.*

Arabibus أوي et *hospitari* est, et *habitare*, in quarta, *hospitio excipere*, atque inde مَأْوَي *locus habitationis*, *locus habitabilis*. Nubiensis p. 9. de intima Africa loquens, لا يكون لها ماوي ولا مستقر *non sunt ibi regiones habitabiles.* Putem et Syris ܐܘܝܐ *mansiones* fuisse, atque sic Joh. XIV, 2. pro ܐܘܢܐ rescribendum, (vide gramm. Syr. p. 5.) habitandi enim significationem ܐܘܢ radix non habet.

Hinc explicandum putem locum Num. XXXIV, 10. התאויתם לכם *habitationis terminum vobis statuetis*, Ps. CXXXII, 13. *divertit illuc ad habitandum*, et v. 14. *eam enim habitabo*, vel habitationem elegi.

Caeterum sitne habitare dictum ab, *optare locum domicilio*, nec nego nec definio.

אוּזָל Genes. X, 27. Ezech. XXVII, 19.

Sanaam, felicis Arabiae metropolim, sub gradu long. 15, 22″ esse, jam certum. Vide Spicilegium geogr. Hebr. exterae T. II. pag. 164-175.

אֹחִים Jes. XIII, 21. vide sub אחח.

אוּלָי *Eulaeus fluvius* Dan. VIII, 2.

Lectio nominis constans, nisi quod tres codices Kennicotti defective habent, אלי, ac certa interpretatio: Eulaeus est fluvius, Susa urbem praeterfluens, de quo consule Cellarium p. 785. Asiae.

Ex recentioribus eum descripsit d'Anville, in libro cui titulum fecit, *l'Euphrate et le Tigre*, p. 141. 142. ejusque delineationem dedit. Eundem esse tradit, qui et alio nomine *Choaspes*, dicatur, a monte *Koh Asp* (montem equi significat) quem non procul Susis supra urbem transeat: recentioribus esse *fluvium Karun*, et *fluvium Toster*.

F Sunt

Sunt tamen et falsa, quae descriptioni admiscuit, ut, cum manifesto errore Susa et Toster eandem urbem putat, quae diversissimae sunt, nec *fluvius Toster* Eulaeus: sed et de aliis erratis monuit me Büschingius. D'Anvillio ergo ante novum rerum singularum examen non tuta fides.

Lacum Eulaeum efficere dicitur et transire veteribus, Straboni l. XV. p. 1059 infima (al. 728.) et Plinio l. VI. §. 26. pag. 327. lin. 4. edit. Harduini, nec vero ad ipsa Susa, sed secundum Strabonem ad emporium, secundum Plinium juxta Characem. Ex hoc lacu pendet interpretatio nominis אובל, de quo infra sub יבל: ergo cum apud recentiores fluvium quidem, non lacum reperirem, consului Büschingium, cujus responsi summa fuit, tutius a me lacum Eulaeum abdicatum iri.

LXX. teste Hieronymo nomen fluvii recte *Ulai* expresserunt, at in editionibus, Romana et Goettingensi, ex Chisiano codice factis, librarii errore Αἰλάμ legitur. Scholion esse videtur alicujus *fluvium Elamitidis* interpretati, quod in textum codicis Chisiani irrepsit.

און et אנן cum derivatis.

Sub his literis cum plurium confusione radicum diversissimae concurrant significationes, etymologici quid de illis dicendum, ne ipsae significationes in dubium adduci possint.

1) Verbum התאנן (*queri, ingemiscere*) bis occurrit, Num. XI, 1. sine Vau, כמתאננים, Thren. III, 39. cum Vau, יתאונן, exigua lectionis varietate. Referunt lexicographi ad radicem און, ego mallem ad אנן, Arab. أنّ *gemuit*: nec tamen negaverim, ut saepe verba med. Vau et med. geminatae confunduntur, ita et in verbo און hanc significationem invaluisse, inde enim,

2) frequens nomen און, *dolor*: Syriacumque ܐܘܢܝܐ Prov. XIV, 13.

3) און

3) אָוֶן *vanitas*, visum est lexicographorum doctioribus ejusdem stirpis esse cum אַיִן, nec negaverim. Unum non adseverans addo, sed tentans, *vanitatem* dictam videri a socordia et incogitantia, (vide בטא) nomenque referri posse ad Arab. أون et أين, quod *quietem* et *segnitiem* notat. Vide n. 5. 6.

4) און *vanitatem*, et, *dolorem*, ita vocalibus masorethae distinxerunt, ut illa אָוֶן sit, hic אוֹן, nec obnitor: saepe tamen puncta male posuisse videntur, atque אָוֶן legi, ubi de dolore sermo est. Multis, ut hoc exemplo utar, locis פֹּעֲלֵי אָוֶן *fabri* potius *doloris, malefici*, esse videntur, quam fabri vanitatis. Experiatur quisque, et pro suo sensu puncta corrigat, dolorem vanitati substituens.

5) *Virium* et *roboris* significatio abjudicari vocabulo neutiquam potest, hanc tamen reliquae Orientis linguae, quantum scio, non habent. Etymi aliqua ratio ex lingua Arabica reddi possit: a *quiete* enim أون et *aequilibrium* est, (vide Golium) hinc recte vires, quae oneri tollendo, magnaeque rei patrandae sufficiunt, אונים dici possent. Timeo tamen adhuc conjecturae etymologicae.

6) און divitias esse volunt Hos. XII, 8. quae significatio locum ibi tueri possit, sed addunt etymon ex adliteratione, ab הון. Male quidem cum multo melius suppeteret, ab أون *quies*, *vita commoda*. Sic sane LXX praeiverant, ἀνάψυξιν vertentes: reliquis enim nihil ne conjunctum quidem cum divitiis in mentem venit, sed his, *vanitas*, ut Aquilae, ἀνωφελὲς, et Vulgatae, *idolum*, — — aliis *dolor*, ut Syr. ܟܐܒܐ, Chald. אונס *injusta vis*, *rapina*.

Ergo mallem ibi pro divitiis paulo generalius, *vitam beatam* habere, vel potius

7) quae loco eximie apta, *occasionem rei feliciter gerendae, aliquid lucrandi.* Nempe Arabibus أوان *tempus est*; ortum ex alia radice, idemque quod ابان et افان. Vide pag. 8. 9. Eximie lucebit locus, si vertas: *dicunt Ephraimitae,* (mercatores nempe, ut ex serie orationis liquet) *ditatus sum, inveni mihi rei gerendae pulcram occasionem nec in omnibus laboribus meis invenient culpam, quae gravius peccatum sit.*

8) תְּאֵנִים quod alii hic habent, quaere sub אנה.

און et אֹן *Heliopolis.*

In codice Hebraico occurrit Genes. XLI, 45. 50. XLVI, 20. ex vulgata lectione defective, secundum non paucos tamen codices plene, און, atque Ezech. XXX, 17. male a masorethis אָוֶן punctatum: praetereaque in graecis bibliis, Exod. I, 11. καὶ Ῥαμασσῆ, καὶ Ὦν, ἥ ἐστιν Ἡλιούπολις, et Jerem. XLIII, 13. στύλους Ἡλιοπόλεως τοὺς ἐν Ὦν, pro בארץ מצרים Graeco interprete legente, באון.

Heliopolis quin sit, Arabibus عَيْن شَمْس, (*fons solis*) jam diu vastata, sed cujus aliqua rudera supersunt prope vicum Matarie, duabus Cahira versus orientem et septentrionem horis, nullum est dubium. Suffecerint LXX, geographiae Aegyptiae testes fide dignissimi, quorum vix dum verba attuli, quique et Genes. XLI. XLVI. Ezech. XXX. Ἡλιούπολιν verterunt. Sed majus accedit argumentum, omnem dubitationem eximens, quod verbis Jablonskii (Pantheon Aeg. P. I. p. 137.) exponam: *observatione non indignum est, Aegyptios interpretes, etsi sermonis Hebraici ignari essent, et solam Alexandrinorum versionem prae oculis haberent, voci Graecae,* Ἡλιούπολις, *substituisse antiquum et vere Aegyptiacum urbis nomen,* ΩΝ, *cujus proinde vetustissimi*

ſtiſſimi nominis memoria inter Aegyptios ſeculo IV. poſt C. N. quo verſio Aegyptiaca Pentateuchi videtur confecta eſſe, adhuc ſuperſtes erat. Addo, vel eo tempore ſuperſtes urbi fuiſſe videri, quo verſiones Arabicae Pentateuchi factae ſunt, cum et Saadias (ipſe in Aegypto degens) et Maurus أون retinuerint.

Nomen eſt, non Hebraicum, (qua ex lingua qui repetunt, viri etiam doctiſſimi operam ludunt) ſed Aegyptium. Cyrillus comment. ad Hoſeam p. 145. Σελήνης μεν γαρ τέκνον, έκγονον δε ήλίου, τον Άπιν Αιγύπτιοι μυθοπλαστοῦντες έλεγον. Ὧν δε έστι κατ' αὐτοὺς ὁ ἥλιος. *Aegyptii in fabulis dicunt, Apin lunae filium eſſe, ſolisque progeniem. Sol autem illis ON dicitur.* In lexico quidem Coptico hoc ſolis nomen non habemus, verum patriarchae Alexandrino quis in re Aegyptia non credat? Veriſimile etiam etymon addidit Jablonſkius, (p. 137. Panthei) OEIN, quod dialecto ſuperioris Aegypti *lucem* ſignificet, unde ſol nomen accepiſſe videatur. Sed et hoc nomen in lexicis Copticis omiſſum.

Si qua habeo geographica, in notis ad Abulfedae Aegyptum, num. LXVII. عين شمس dixi: has ergo evolves, i. e. notas 275-282.

Jerem. XLIII, 13. *ſtatuae*, i. e. obeliſci, *domus ſolis* בית שמש *in Aegypto* memorantur, de quibus in notis ad hunc locum, et copioſius in nota 277 ad Abulfedae Aegyptum egi. בית שמש aut Hebraice verſum nomen urbis eſt, aut ipſum ea in urbe *ſolis templum*, ad quod obeliſci pertinebant. Vide Strabonem libr. XVII. p. 1158. (al. 805.) ἡ τοῦ ἡλίου πόλις, ἐπὶ χώματος ἀξιολόγου κειμένη, τὸ ἱερὸν ἔχουσα τοῦ ἡλίου, *urbs ſolis in colle inſigni* (illo forte qui nunc collis Judaeorum dicitur) *ſita, templum ſolis habens.*

Fuerunt, quibus et רעמסס nomen visum est ejusdem urbis: sed id hic non expedio, sub רעמסס sententiam aut dicturus aut dubitaturus.

אופז *nomen proprium regionis auriferae.*

Bis legitur, Jerem. X, 9. Dan. X, 5. seriore tempore, Babyloniis jam rerum dominis; sed forte et sub Salomone 1 Reg. X, 18. quo de loco deinceps. Nomen non auri esse, non artificii, quo aurifaber utatur, sed proprium loci, ex Jerem. X, 9. manifestum: *argentum ex Tharschisch, aurum ex Ufaz advehi dicitur*, ex quo Babylonii idola fabricent. Sitne Ophir Arabiae, an alia auri dives terra, incertum; potuerit sane nova ab Hebraeis detecta auri patria אופיר nomine paulisper mutato אופז dici, ultima ex פז, *aurum*, syllaba mutuata. Possit et aliud quid nomini novo, ad Ophiram alludenti, occasionem dedisse, nec negaverim *Seilanam* insulam *Uphazam* esse, licet Ophiram eam fuisse neutiquam credam: fuit enim, ut Bochartus jam monuit, huic insulae *Phasis* fluvius (forte Phoeniciis a פז auro dictus,) et *Pasi* sinus, (πᾶσι κόλπος.) Ptolemaeus libr. VII. p. 180. Quamquam, ut verum fatear, his nominum concentibus non multum fido, פז enim Hebraicum non, φασις et πασι foret, sed φαζις et παζ.

Jam eos ex veteribus nominare fas est

1) qui *Uphaz* et *Ophiram* eandem putarunt, atque hujus nomen pro illa substituerunt; in Jeremia, Syrus, Chaldaeus et Theodotio, itémque in loco tertio, 1 Reg. X, 18. Syrus.

2) qui manifesto errore adpellative interpretati sunt; Hieronymus ad Jerem. X, 9. *septem nominibus apud Hebraeos adpellatur aurum, quorum unum OPHAZ dicitur, quod nos dicere possemus, obrizum.* Hinc Vulgata Dan. X, 5. *auro obrizo.*

At mire in loco Danielis, nescio quid aut legentes, aut spectantes, LXX, βύσσινον καὶ ἐκ μέσου αὐτοῦ φῶς, (*byssinum in-*

que

que medio ejus splendor) et Syrus ܐܝܩܪܐ ܕܡܫܒܚܘܬܐ *decus gloriosum.*

Tertius, ut dixi, locus addendus videtur, 1 Reg. X, 18. ubi pro זהב מופז, quis non suspicetur, *aurum ex Uphaz* intelligi. Certe regionis nomen intellexerunt, Ophiram vertentes, ut vixdum dixi, Syrus et Arabs, ܡܢ ܐܘܦܝܪ, *ex Ophir* من الذهب اتاه من الهند *de auro, quod ex India attulerat.* Nec tamen lectionem mutare ausim, uno modo codice (145) quamquam satis notabili, מאופז habente; sed potius suspicor, Aleph prostheticum nominis post praefixum excidere licite potuisse, ut saepe apud Arabes. — — Hoc tamen ipso loco plerique adpellative, ac si sit participium Hophal, LXX χρυσίῳ δοκίμῳ; Chald. דהבא טובא (satis concinente loco parallelo 2 Paral. X, 17. ubi habes זהב טהור) Schultensius, *aurum ductile*, sed ex quibus nihil certum.

אופיר *Ophir.*

Genes. X, 29. sine dubio regio Arabiae felicis, auri olim dives, licet nunc aurum in Arabia non reperiatur, de qua copiosius egi in spicilegio T. II. p. 184-195. situm ei certum adsignare non potui.

Aliam praeter hanc Ophiram crediderunt multi, ultramarinam, quibus cur non adsentiar, ibidem rationem reddidi p. 195-202.

אור כשרים *Ur, castellum, circiter sub long.* 60′, 12″. *latitud.* 36′, 4″.

De Ura Chaldaeorum, ex qua Abrahamus egressus est, Genes. XI, 28. 31. &c. &c. copiosius disserui, illo quidem tempore dubius nihilque certi habens, in spicilegii geographiae Tomo II. p. 104-114. sententias aliorum, ne exceptis quidem manifestis erroribus, colligens. Una Bocharti et Cellarii non contemnenda, reliquisque verisimilior,

jam

jam tum videbatur, esse *Ur*, *castellum*, cujus mentionem facit, situmque describit Ammianus Marcellinus l. XXV. c. 8. (*Hatra ad castellum Ur, sex dies per deserta, post hoc castellum Tilsaphata, post Tilsaphata Nisibis.*) Jam vero, postquam Schlötzerus in suo de Chaldaeis libello hanc copiosius ornavit sententiam, totus in eam concedo, idque in bibl. Or. T. XVII. p. 76. professus sum. Nempe concinit, non nomen modo, sed et situs, in vicinia montium qui Armeniam a planitie subjecta disterminant, quibus in montibus Xenophon Chaldaeos invenit. Vide bibliothecam Orientalem, plenius horum rationem redditurам. Situm quidem adcurate definire nequeo, antequam itineratorum aliquis, et vero mathematum peritus, eum describat: sumsi tamen qualitercunque ex d'Anvillii delineatione Euphratis et Tigridis (*), in qua invenies sub gradu longitudinis 60 et 12 circiter minutis, latitudinis 36 et 4 minutis.

אֻרִים Jes. XXIV, 15?

Spurium mihi quidem בארים, seu, ut 24 codices plene habent, באורים, videtur, proque eo restituendum באיים, *in regionibus*, (vide bibl. Or. Supplem. T. XIV. p. 54. 55. 56.) sed tamen vel de suspecti vocabuli significatu dicendum, atque omnes audiendi, omnia tentanda, antequam eliminetur.

Plerique ad אור *lucem*, retulerunt: sic Coccejus, *ignes in publicae laetitiae signum accensos*, (*Freudenfeuer*) intelligens. Sic et Abendana, ac forte eodem referendus Syrus, ܠܫܘܒܚܐ *laudem*, interpretatus. Quam si quis ornare sententiam vellet, possit festum repurgati templi, *φῶτα*, dictum intelligere, de quo vide Josephum, Ant. XII, 7, 6. measque ad 1 Maccab. IV, 59 notas, ubi suspicor, ex hoc ipso

(*) *l'Euphrate et le Tigre.*

ipſo loco, de victoriis Judae Maccabaei intellecto, feſto nomen ductum eſſe. Poſſis et lucem ſimpliciter de gaudio, feſtivaque laetitia intelligere. Vide Chald. et Raſchi. Contra de luce doctrinae cogitavit Hieronymus, *doctrinas*, vertens. — — Omnia tentaturus, poſſis et *ſacros aeternosque ignicolarum ignes* intelligere, quos inter, in terris exterorum, laudes Jehovae ejusque fortia facta praedicanda.

Alii, de quibus vide Raſchium, *ſpecus* interpretabantur, in quibus profugi latuerunt, Kimchiusque, *valles*, utrique conferentes אור כשדים, cui ejusmodi ſignificatum Judaeos dare, in ſpicilegii P. II. p. 110. diximus. Forte et, qui haec primam commenti ſunt, adliteratione abuſi ſunt, אור et מערה. Sed quidquid illis obverſatum ſit, אור nec ſpecus nec vallis eſt ex uſu linguarum Orientalium; merum commentum, in lexica tamen olim receptum.

Lectio ſi ſana eſſet, mallem ad radicem ארר referre, quae Arabibus eſt, *expulit*, unde أُرّ *propulſio, expulſio*, ac vertere, *in exſiliis* (patria pulſi) *laudate* Jehovam.

אוֹרָה *malva.*

Bis occurrit, pluraliter, 2 Reg. IV, 39. defective in vulgatis bibliis אֹרֹת, quamquam et, אורות vel אורת in ſex codicibus Kennicotto inventum ſit, et Jeſ. XXVI, 19. plene, אוֹרֹת, nulla lectionis varietate. Non olera generatim, ſed malvam interpretatus eſt Celſius, T. I. hierob. p. 459-465. cui adſtipulor, cum ob rationes ab eo allatas, tum quod hac ſumta ſignificatione locus Jeſaiae, alioquin obſcuriſſimus, ad quem vide notata in bibliis germanicis, egregie lucet, ubi טל אורת *ros malvae* memoratur. Nempe, ut jam monuit, licet aliud agens, Celſius p. 460-462. malvae magnas virtutes medicas tribuebant veteres, ut vel Aeſculapio ſignum daretur: erat ergo herba medica primaria. Inſignem excerpo locum Plinii, l. XX. c. 21. licet

multa,

multa, quae vel Plinio vera videbantur, a medicis non didicerim, ſed tamen eo pertinent, ut quo in pretio fuerit malva, antequam plures herbae medicae innoteſcerent, intelligatur: "*E contrario in magnis* „*laudibus malva eſt utraque, et ſativa et ſilveſtris. — — Huic contra* „*omnes aculeatos ictus efficax vis, praecipue ſcorpionum, veſparum, ſimi-* „*liumque, ut muris aranei. Quin et trita cum oleo qualibet earum per-* „*uncti ante, vel habentes eas, non feriuntur. Folium impoſitum ſcor-* „*pionibus torporem adfert. Valent et contra venena. Aculeos omnes* „*extrahunt illitae crudae cum nitro; potae vero, decoctae cum radice* „*ſua, leporis marini venena reſtinguunt, et ut quidam dicunt, ſi voma-* „*tur.*" (Haec me non omnia credere maxime mea intereſt, ſcire lectores; phraſin et figuram interpretaturus, doceo, quo in pretio malva olim fuerit veteribus. Sed jam ad alia majora pergit, ipſi quoque Plinio incredibilia.) "*De iisdem mira et alia traduntur, ſed maxime,* „*ſi quis ſucci ex qualibet earum ſorbeat cyathum dimidium, omnibus mor-* „*bis cariturum.*" (Hic aliqua minora omitto, ſed addo, quod forte ad Jeſaiam explicandum transferre quis velit, ſequens תַּפִּיל de *partu*, aut abortu intelligens) "*Olympias Thebana dicit, abortivas eſſe cum adi-* „*pe anſeris. — — Utique conſtat, parturientes foliis ſubſtratis cele-* „*rius ſolvi. — — Dant et ſuccum bibendum parturientibus jejunis, in* „*vino decoctae hemina. — — Althaeae in omnibus ſupra dictis efficacior* „*radix: — — Hippocrates vulneratis, ſitientibusque defectu ſanguinis,* „*radicis decoctae ſuccum bibendum dedit* &c. &c.

Jam quis ſit *ros* (טַל) *malvae* quaeras? Succum forte, latius ſumto roris nomine intelligere poſſis, aliquoties a Plinio memoratum. Sed forte mythologiae, a qua petita imago, convenientius, ipſum rorem intelligere, malvae adhaerentem, ejusque adeo foliis nonnunquam largius, in majores guttas collectum, innatantem. Rori quidem

dem mira tribuunt fabulae Judaicae, (mythi olim elegantes sed nimis deinde proprie intelligendo in mendacia versi). E. g. fingunt, Abrahamum, cum ex utero matris egressus esset, ad necem quaesitum, sed sub terra occultatum fuisse, ibique per undecim annos rore vivificante nutritum esse, (טל שעתיד בו הקבה" להחיות בו את המתים עודם מתחרת לארץ היה עמו ונותן בו חיות (*ros, quo Deus mortuos vivos servat, dum illi sunt sub terra, erat cum ipso, dabatque ei vitam*) quod Medrasch ad Ps. CX, 3. transfert. Chaldaeus paraphrastes, Ps. LXVIII, 10: *cum Israelitae audirent vocem tuam potentissimam, avolarunt animae ipsorum. Statim demisisti super illos rorem vivificationis tuae.* Alia uberius, quam ut locus illis hic sit, collecta ab Eisenmengero relege in ejus, *entdeckten Judenthum*, T. II. p. 927-929. Mytho originem dedisse videtur, quod resurrectionem cum grano in terram sparso, et ex illa renascente comparabant, quod rore ali putabant. Rori et medicam vim tribuisse poetas refert Hieronymus ad Jesaiae locum: *ros domini juxta fabulas poëtarum vincens omnes herbas Paeonias*, (utinam addidisset poetarum loca! mihi quidem non succurrunt) *vivificabit corpora mortuorum: et quomodo jactis in terram seminibus, ros paulatim crescere facit herbas, et ad fruges sui generis pervenire, sic* &c. (jam sequuntur quae describere piget).

Sic טל אורות erit, medicina efficacissima et vivificans, *ros tuus est, ros malvae, et terra mortuos enitetur*, vel, *progerminare faciet.* Aptior imago, quod malva in sepulcris non infrequens. Aut idem senserunt, aut proxime absunt ab hac sententia LXX. ἡ δρόσος ἡ παρά σου, ἴαμα αὐτοῖς ἐστιν.

Caeterum si *ros malvae* displiceret, certe non *ros luminum*, substituendus esset, sed *ros largiter stillans*, *ros copiosissimus*, ab عَرِيّ, quod, ipsum quoque de rore usurpatum, vide in Golii lex.

מְאוּרָה *cornu cerastis.*

Vocabulum ἅπαξ λεγόμενον Jes. XI, 8. *Cavernam* plerumque vertunt, praeeunte jam Vulgata, (*in cavernam reguli*), male, ut puto, cavernae enim nomen מְעוּרָה scribendum fuisset. Mihi verisimile, *cornua* ipsa, aut si malis, *tentacula cerastis* intelligi, quibus, sub arena latens, exsertis et motis aves allicit. (Plinius l. VIII. §. 35.) Possunt illi *luminaria* cerastis dici, cum quod ei luminarium usum ad indagandam praedam praestant, tum quod Hasselquisto teste, p. 365. itinerarii Palaestinensis *in ipso margine superiore oculorum sunt*, quod et disces ex figura Ellisiana, quam capiti XXI. Num. adjeci. Ergo et Chaldaeus, גַּלְגַּלֵּי עֵינִין *orbitas oculorum*, vertens, praeivisse mihi sententiam videtur. Sunt illi, teste Hasselquisto continuatus dens, caput ipsum transiens, de quo p. 321. (vers. germ. 370.) ita: *apex dentium cornua constituit, quae pone sunt convexa, antice parum arcuata, apice acuminata. Unguiculum fere avis vel amphibii, omnino referunt, unum ab utroque latere verticis, pone oculum situm. Dentes hi mobilissimi sunt, et facillime ex suo foramine tolli possunt.*

אות in Niphal נֵאוֹת *consensit.*

Rarius verbum, ter Genes. XXXIV, et semel 2 Reg. XII, 9. id vero est, non nisi bis, obvium: reliquis etiam linguis Orientalibus ignotum. Incertum, utrum ad radicem, אות, אתה, an יאת referendum sit, dissidentque lexicographi. Mihi quidem veri non dissimile, esse denominativum ab אות, *signum*, ut signari alicui sit, cum illo in amicitiam populumve unum coire. Ad אתה si referas, erit, *conjungi*, ab אֵת, *cum.*

און Deut. XXIII, 14.

Ad obscuriusculum et ἅπαξ λεγόμενον accedo, non tam interpretaturus, quam incertiores facturus lectores, atque moniturus, ne nimis lexicis credant.

Pleri-

Plerique *arma* vertunt, ex Chaldaismo, cui אזנין id significant. Possit pro armis, hoc quoque dici, interpretibus hucusque praetermissum, non inepte illis palam adjungi, quod hujus instrumenti in muniendis castris usus sit, sine armis et pala militem esse non debere. Malles tamen de armis nihil audire, ubi de pala, qua stercori fossula effoditur, sermo: nec Chaldaismus Rabbinicus, ubi a Syriaca lingua destituitur, probandae antiquae significationi vocabulorum sufficit, quippe qui eas forte ex Rabbinica interpretatione loci biblici sumsit. Magis etiam displicet, quod *ornamenta* aliqui verterunt, (vide Simonis) a זין *ornavit*: palam fossulam stercori facturam quis ornamentis junxerit.

Zonam (ζώνην) habent LXX. et Vulg. et hi sine dubio male: hanc enim significationem cum sub his radicalibus plane non habeant linguae Orientales, est sine dubio ex Graeco ζώνη arrepta (*). Graecum vero vocabulum in Mose quis exspectet? Nec putem, spatham semper in zona gestatam, et vero huic usui, quem dissimulare malles.

Arabibus quidem *auris* (أُذُن) dicitur, quod ad latus rei est, ut, ansa. Sitne et Mosi אזן latus tentorii secretius, aut ansa ejus, ex qua pala pendet? Conjecturam promo, nil adfirmo; velimque in posterum inquiri.

Fuerunt, qui *supellectilem* interpretarentur: et hoc etymon ferre posset; quae a latere quis gestat, aut lateri jumentorum imponit, possint *aures* dici, sensu Arabico. Ipsae adeo bilances Hebraeis ab aure dictae מאזנים: quidni et sarcinae ab utroque jumenti latere, supellectilem continenter. — — Ut verum fatear, hoc mihi, jam a Cocce-

jo

(*) Suspicabatur Driessenius p. 20. speciminis observationum, eos אזרך legisse. Vix putem, in nullo certe codice Kennicottiano אזרך repertum.

jo (*) ſed ſine argumentis, ex verſione Belgica memoratum, reliquis videtur veriſimilius.

אזקים vel אזיקים *vincula.*

Non niſi bis occurrit, Jerem. XL, 1. (aliqua lectionis varietate, ſeptem enim codices א omittunt, זיקים et זקים ſcribentes,) et v. 4. ubi nullus omnino codex א omittit. Haec per א ſcriptio ſi vera, non referendum videtur ad Chaldaicum זקק *ligare*, ſed ad أزق *coarctatus*, *preſſus fuit.*

אחד *aliquis*, indeterminate.

Monuit jam Coccejus, aliique, אחד aliquando poni indeterminate, אחד השרים *unus principum*, i. e. *aliquis principum.* Exempla tamen memorant, ubi nomen in genitivo ſequitur. Ergo recte dictis et hoc addendum, non in hac modo conſtructione, quam latine imitari poſſis, ſed plane ut noſtrum germanicum, *Ein*, poni, ut, *Ein Fürſt*, pro quo *unus princeps* Latinis auribus barbarum et putidum ſonat. Exempla vide, 1 Reg. XIX, 4. 5. רתם אחד XX, 13. נביא אחד 35. איש אחד XXII, 9. סריס אחד. Frequens ergo ſcriptori hiſtoriae Achabi: ſed et jam in Moſe occurrit Geneſ. XXII, 13. ex varia lectione איל אחד, de qua vide biblioth. Or. T. IX. pag. 191. et Kennicotti biblia, ex 26 codicibus eam citantis. Hebraeis hoc quidem rarius, at Syris in ſuo ܚܕ frequentiſſimum ac quotidianum.

אחד Jeſ. LXVI, 17.

Nomen proprium Dei Syrorum, *Adadi*, quod audacter ſatis in AHADUM mutant non pauci, quibus cur non adſentiar, rationes diſces ex Orientalis bibliothecae T. XIV. Adpendice, p. 210-218.

התאחד

(*) Sub radice זון, *Belg. Gereetſchap.*

הִתְאַחֲדִי Ezech. XXI, 21. (al. 16.)

Verbum ἅπαξ λεγόμενον, vera si lectio, denominativum ab אחד *unus*, sed obscurissimum. Vertunt fere, *uni te*, i. e. *in unum locum converte te*. Nil certe melius succurrit, unde et ipse in versione sequutus sum.

Suspicor tamen, in mendo cubare locum, licet de emendatione nihil certi habeam. Unus, vel plures, Kennicotti codices התאחרי habent, egregia sententia, modo ita vertere liceat, *ad terguum ad dextram, ad anticam, ad sinistram verte te.* — — LXX. et Vulg. habent, *exacuere*, ac si legissent, הִתְחַדִּי eoque et referri Syrus possit, qui vertit, *fortis esto;* sed nullus codex concinit.

אָחוּ *quod virens in palude nascitur, bucolia.*

Ter occurrit, nec nisi in libris Mosis et Jobi, qui mihi a manu Mosis esse videtur, Exod. XLI, 2. 18. Job. VIII, 11. Vocabulum Copticum esse jam alii monuerunt, unde fit, ut non solum Genes. XLI. Alexandrinus interpres et Coptus retineant, hic quidem cum articulo PIACHI scribens (*), sed et Alexandrinus interpres, ut sibi quotidianum pro aliis Hebraicis vocabulis substituat, Jes. XIX, 7. τὸ Ἄχι τὸ χλωρὸν, (ערות) et Sirac. XL, 16. Ἄχει ἐπὶ παντὸς ὕδατος καὶ χείλους ποταμοῦ. Optimus et certissimus vocabuli interpres Hieronymus in commentario spirituali ad Jesaiae XIX, 7. (T. III. p. 183.) *pro junco papyrum transtulerunt LXX, addentes de suo ACHI VIRIDE, quod in Hebraicis non habetur: quumque ab eruditis quaererem, quid hic sermo significaret, audivi, ab Aegyptiis hoc nomine lingua eorum omne quod in palude virens nascitur appellari.* Sic et ibidem Arabs Graecum Ἄχι vertit, كل ما حول النهر *omne quod est circa*

(*) Scholtzii et Woidii lex. Copt. p. 10. et 53.

circa flumen. Complectitur ergo nomen vel maxime bucolia Aegyptia ab Heliodoro in Aethiopicis libr. I. p. 10. eleganter descripta; recteque a Josepho, ipso quoque bono significationis teste, ἕλος, *palustria*, redditur, Ant. II, 5, 5.

Vetus Aegyptium vocabulum cum sit, repudianda derivatio quam offert Arabia, أَخِيَّة *laquens, quo jumentum in campo vel deserto alligatur, ipseque adeo locus, in quo ita alligatus est pascendi caussa:* vetus enim Aegyptiorum lingua nulla tenebatur Arabicae cognatione, licet in Copticam non pauca vocabula dominorum Aegypti, Arabum, recepta sint. Quamquam et re diversissima sunt bucolia Aegypti, et Arabum أخية, locus vel in deserto, ubi alligatur jumentum. Inde et factum ut hoc vocabulo Arabici interpretes non ut harmonico usi sint, nec ubi Hebraice legitur, Genes. 41, nec ubi Graece Jes. 19. Sirac. 40.

אחז Job. XXVI, 9.

אחז quid plerumque significet, satis expeditum, de uno loco ubi in Piel occurrit Job. XXVI, 9. מְאַחֵז פְּנֵי כִסֵּה (nulla omnino in מאחז lectionis varietate sed pro כסה *tugurium*, alii legunt כסא *solium*, de quo vide infra sub כס) ambigi fas est. Coccejus, quem semper ut praestabiliorem nomino, *conjungens, vel coagmentans faciem solii*, i. e. *coeli*, paulo obscurius, nec satisfaciens.

Duplex quidem philologica (conjecturales enim adspernor) offert se interpretatio:

1) *firmans* solium suum. Nempe, *prehendere, tenere faciens*, est, faciens, ut omnia firmiter et solide cohaereant et contignentur. Sic verbum foret architectonicum, significans, *quod lapis lapidem tenet*, aut, *trabs muro inseritur.* Arabibus أخذ est, *rigidare corpus.*

2) *clau-*

2) *claudens*, i. e. operiens faciem ſolii. Hoc qui tuentur, adferunt أخنف et أسر inter alia eſſe, *claudere* fores, et conferunt Pſ. LXXVII, 5. Nehem. VII, 3. Sic ſolium dei dicetur nubibus abſcondi, oculisque mortalium eripi.

Poſterius mihi ob additum פני veriſimilius, quod redundaret, ſi de firmando ſolio ſermo inſtitueretur.

Radix אחח,

אָח *olla*, *in qua ignis*, *carbones*.

אח hoc ſignificatu non niſi ſemel occurrit, Jerem. XXXVI, 22. ἐσχάρων (*focum*) verterunt LXX, quos recentiorum multi ſequuti ſunt, *arulam* Vulgata, *ignem* ſimpliciter Syrus et Chaldaeus. Ex his tamen non ſatis certo adparet, qualis focus vel ignis intelligatur, de camino multis cogitantibus.

Veriſimillime negat *Seb. Ravius*, in elegantiſſima *diſſertatione de aedibus Hebraeorum*, p. 78. aedes Hebraeorum caminis inſtructas fuiſſe, monens, habuiſſe eos *focum portatilem*, *tripode vel alio vaſe conſtantem*. Ex Oleario docet, Perſas habere foramina rotunda, quae in ſolo excavata prunis ardentibus impleant, iisque adſideant: plura ex itinerariis aliis adfert ipſe relegendus. Verum dixiſſe videtur, in uno diſplicens etymo ab أجّ *arſit*, nunquam enim ג et ח in lingua Hebraica permutari memini.

Verum tamen inveniſſe, aut certe ad illud viam monſtraſſe, dicendus eſt. Mihi quidem אח idem quod أُجّ *olla:* ollamque intelligo, qualem et apud nos, ſed infimae modo ſortis homines, aliquando cameris fornace deſtitutis inferunt, inque ea ignem alunt, refragantibus medicis, quod id apud nos perniciosum eſt, multisque mortem attulit. Sed quod apud nos exitiale, non idem eſt alibi: vitae periculum

lum praesentissimum ex carbonibus, quibus ignis nutritur, at alio nutrimento flamma vitae innoxia. In Aegypto quidem rustici ollis lapideis cameras calefaciunt, stramine atque adeo fimo arefacto ignem alentes: vide Niebuhrii itinerarium T. I. p. 154. Nihil ea in re periculi, quamquam et idem Merdinae ollas vidit prunis plenas calefaciendo adhiberi, T. II. p. 394. in quibus praesentissimum vitae periculum dormientibus; vigilantibus enim paulo minus noxius aër ex prunis, quod nostro communi aëre gravior humi residet, nec se attollit.

Talem ergo et ollam portatilem rex Jojakimus habuerit calefaciendis aedibus hibernis, quo autem usus sit ignis alimento, non exquiro, nolim tamen, carbones incensos fuisse. Sed de hoc N. L.

אָח plural. אֹחִים.

Ἅπαξ λεγόμενον Jes. XIII, 21. de cujus significatione nondum constat, dubiisque adnumerandum, ne quaerere desinamus. Ipsa scriptio incerta, plerisque אחים habentibus, at אוחים sex codicibus Kennicottianis.

LXX et Theod. *ἦχον* *clamorem*, reddunt, Syrusque ܒܪܬ ܩܠܐ i. e. *repercussum sonum.* His accedit Bochartus Hieroz. P. I. libr. III. c. 15. sed ita, ut *ululatus lugubres ferarum, obscenarumque avium* intelligat, vocabulumque onomatopoëticum existimet ab Ah! אח. Veri ille quidem similia dixit, nec tamen hucusque certa: possint ab eodem etymo (unde et Arabum quadriliterum أَحَّحَ *identidem Ah! dixit*) alii quoque soni lugubres ruinarum, perspirante vento, aut aliis ex caussis orti, intelligi, quos spectris meticulosa tribuit superstitio: qua imagine in ruinis describendis poeta, vel nihil spectrorum credens, uti recte possit. Sic fere Castellus.

Τυφῶνας reddidit Aquila, incertum, utrum, 1) *turbines*, ventos, ut dixi, ruinosas domos perflantes, inque illis ululantes, an 2) *ignes*

ignes fatuos, pro daemoniis, ut fieri solet, habitos: nam et *φλόγα ἐκ τοῦ ἀέρος*, *aëra incensum*, aliqui *τυφῶνα* nominant, ut vel ex Suida T. III. p. 521. intelligitur, licet hic usus vocabuli displiceat: an denique 3) *Typhonas*, i. e. *gigantes*, *spectra terribilia*. Sic forte אחים adpellasset, *conjuratos coelum rescindere fratres*, intelligens. Nihil hic certi, ac ne certa quidem Aquilae lectio, *Φωνῶν* enim (*voces*) ex Aquila citat Procopius, quod Bochartus, suae quippe sententiae suffraganeum praefert: ego secus.

Dracones habet Vulgata, ex mera, ut puto, Hieronymi conjectura, nullum enim in commentario novae versionis argumentum adfert. Ex Arabismo illi suppetias tulit S. R. Koppe ad locum Jesaiae, أخوين Arabice dracones esse; sed vereor ut haec Arabici vocabuli significatio probari possit. Sumiter illa ex Golio, cui pag. 41. دَم الأَخْوين idem est, qui alio nomine, دم الثعبان *sanguis draconum*, (gummi species celeberrima). Ut vero non dicam, posse verti, *sanguis fratrum*, hancque gummi speciem, quam fabula jam ex sanguine elephantis et draconis, jam duorum draconum pugnantium nasci volebat, duplici nomine potuisse dici, *sanguis fratrum*, et, *sanguis draconum*: plane exoticum nomen est Arabibus, ex Graecia tralatitium, ab *ἔχιον serpens*. Idem Golius sub proxime praecedente vocabulo: "أَخْيُون *graecum est ἔχιον*, *Dioscor. l. IV*, *c. 27. quod „Arabes suo idiomate* راس الافعي *caput viperinum vocant.*" Ex ejusmodi vocabulo, post Muhammedis tempus ex Graecis ab historiae naturalis scriptoribus in Arabicam linguam recepto, Hebraismus Jesaiae explicari nequit. – – Sed tamen forte simile quid in animo habuit Hieronymus, atque אחים cum *ἔχιον* contulit.

אַחֲלַי *utinam.*

2 Reg. V, 3. Pſ. CXIX, 5. De ſignificatu particulae rarioris conſtat, ſolo etymo obſcuriusculo. Refero ad חלה, (quod infra vide) Arabice, حلو et حلي dulcis fuit: q. d. *dulcia verba do, precor.* He, ut ſaepe, mutatum in Jod, Arabice iisdem literis ſcriberes أَحْلَي. Confer et Arabicam phraſin, لا أمرّ ولا أحلي *nil dixit, neque amarum, nec dulce.*

אַחְמְתָא *Ecbatana* Ezr. VI, 2.

Rabbini plerumque adpellative interpretantur, *vas, ciſtam,* a חמת מים Geneſ. XXI, 14. 19. et Caſtellus p. 3960. a Perſico خُبْت vel خُم *vas fictile, duabus anſis praeditum, magno et amplo ventre.* Diſplicet, primo, quod veteres omnes pro nomine proprio habuerunt, deinde, quod in fragili urceo, edicta regia aſſervari non ſolent, ſed in ciſta lignea, denique, quod vix dignum relatu, edictum in regia Mediae, nomine regiae omiſſo, in urceo inventum eſſe.

Ergo veteribus adſentior, qui unanimiter pro nomine proprio habent, aliqui ſonum modo exprimentes, ut LXX. ἐν Ἀμαθὰ πόλει, exque illis Arabs, في أنباتا, in *Embatha* (ſic enim, non ut Polygl. habent, أتباتا legendum puto) alii *Ecbatana* interpretantes, ut, liber apocryphus c. VI, 22. Joſephus Ant. XI, 4, 6. et Vulgata. Hoc unice mihi verum videtur, non ſolum ob teſtium auctoritatem, ſed et ob inſignem concentum nominum, (meminerimus enim B et M ſaepe apud Orientales eundem ſonum habere et promiſcue ſcribi) denique quod Ecbatana ſine dubio regia (בירה) Mediae, in qua archiva regum quaerenda. Sed praeter has, ſtatim in oculos incurrentes, rationes, accedit alia, hucusque pene intacta interpretibus geographisque. Eſſe dicuntur aliqua Palaeſtinae Ecbatana, in quibus Camby ſes

byſes ſuo vulneratus gladio, audito urbis nomine ſtatim ſibi mortem praeſagiverit, quod oraculum ei redditum in Aegypto eſſet, ἐν Ἀγβατάνοισι τελευτήσειν τὸν βίον, *Ecbatanis eum vitam finiturum*, quod antea de Ecbatanis Mediae intellexerat. Herodot. l. III. c. 64. Mirari poſſis in Palaeſtina Ecbatana, nobis ex geographia biblica et Arabica ignota, Medico nomine: ſed mirari deſinemus, ſi Ecbatana Hebraice אחמתא ſcribebantur, plures enim in Syria urbes, חַמַּת vocabantur, quod praemiſſo Aleph prosthetico Syrorum fit אחמת. Concinit et ſitus, Plinio teſte, habet enim libr. V. c. 19. in litore Palaeſtinae has urbes, *Dorum, Sycaminum, promontorium Carmelum, et in monte oppidum eodem nomine*, QUONDAM ECBATANA DICTUM: jam Joſ. XXI, 31. in Dorae vicinia habemus, חמת דור, urbem Levitis ex tribu Naphthali aſſignatam. Fateor, fines Naphthali Joſ. XIX. non ad ipſum Carmelum exporrigi, ſed eſt locus lacunarum plenus, in quo ipſa noſtra חמת דר deſideratur.

De Ecbatanis plura diſſerendi non hic locus eſt, ablego ad Cellarium: ſed unum, qui late ſerpſit errorem intactum praetermittere nequeo. Fuerunt, quibus Ecbatana ibi ſita fuiſſe viderentur, ubi nunc *Tebriz*, aliis Tauris, تبريز. Sed, ut hiſtorica omittam non faventia, utramque urbem alio plane loco apud veteres et recentiores invenies: Tebrizam ad occidentem maris Caspii haud procul a lacu Urmia vel Maraga, Acbatana in Ptolemaei tabulis; procul inde, ad Auſtrum Caspii maris, procul et a lacu Marciano, quo nomine ille Maragam dicit, multo orientaliora. Tebriz ſub gradu long. $65\frac{1}{2}$ lat. 38, Ecbatana Ptolemaeo, ſub long. 88. lat. 37. Sed ſolis oculis haec melius judicantur, quod gradus Ptolemaei in vicinia maris Caspii perquam vitioſi.

Syro interpreti Ecbatana in libro Ezrae apocrypho sunt ܐܚܡܬܢܐܘܣ, at in Judithae libro, ܐܚܡܬܐ. Hoc unde?

De etymo, quod aliqui prodiderunt, Persico, vide Simonis onomasticon, p. 578. Non repudio, sed meum non facio, veritus, ne حبيت *aestus*, ex Arabica demum lingua in Persicam hodiernam immigrarit.

אחרית הימים, *seri dies*.

Non *finem dierum* interpretor, sed *posteriorem partem dierum*, i. e. sero post multum temporis venturos dies. Sed hoc curatius dicendum et distinctius, cum commentum Judaeorum, Messiam sub finem mundi exspectantium, quod Kimchii verbis (ad Jes. II, 2.) ponam, כל אחרית הימים הוא משיח, omnia loca, ubi *finis dierum* occurrit de tempore Messiae agere, scholas quoque ac commentarios christianorum late invaserit, pene pro axiomate habitum; argumento nullo, sed sola stabilitum Judaeorum auctoritate. Obstant loca primaria, quorum aliqua indicabo:

ipse primus, Genes. XLIX, 1. Vaticinia Jacobi omnia, solo versu decimo, si de Messia interpreteris, excepto, non solum non ad tempora Messiae, sed et ad illa sola pertinent, quae exsilium praecesserunt. Nihil, quod illud insecutum sit, invenias, ut magno exemplo utar, nihil in benedictione Levi de Maccabaeorum victoriis, principatuque et regno hujus tribus florentissimo, cui a Simone principe reliquae tribus subjectae fuerunt. Quae hic comminiscuntur Judaei, voluisse Jacobum de Messia, finibus occultis, retributione bonorum, poenis malorum, horto Edenis, vaticinari, sed cum haec ob peccata filiorum oculis subtraherentur, alia locutum omnia, (vide Thargum Jonathanis) ea indicasse, id vero est refutasse.

Jerem.

Jerem. XLVIII, 47. Moabitae sine dubio diu ante Christum restituti, qua de re vide notas germanicas. Christi tempore nihil ejusmodi factum.

Idem dicendum de Elamitis restitutis Jerem. XLIX, 39. (vide notas germanicas).

Dan. X, 14. eventura populo Israelitico באחרית הימים praedicturum se ostendit angelus: atqui ea omnia, quae c. X. XI. XII. legimus, diu ante Messiam in Antiocho Epiphane desinunt.

Ipse adeo Jesaiae locus, cap. II, 2-4. quem vel maxime hoc solo ducti argumento, Judaeorumque auctoritate, de ultimis Messiae temporibus interpretari solent, si Micham, ex quo sumtus est, conferas, de tempore post reditum ex Babylone agere videtur. Vide me ad Mich. IV, 1-7.

Alia paulo ratione eandem, quam repudiamus, sententiam instituit Ribovius, in dissertatione *de termino vaticiniorum*: tempora Messiae ideo *finem dierum* dici autumans, quod finis sint dierum propheticorum, id vero est, quod ultra illa prophetae nihil viderint, nil praedixerint. Praeter ea, quae supra commento Judaeorum gratis sumto opposui, sunt et alia, quae solam Ribovianam explicationem premunt. Audax et durum, הימים simpliciter positum, *dies* interpretari, *de quibus prophetae vaticinati sint*: ipsa palmaria dissertationis sententia, nihil prophetas de rebus post Christum cecinisse, non solum dubia, sed et falsa videtur: maxime autem omnium obstat Dan. II, 28. ubi Daniel cum Nabochodonosare colloquens, phrasi אחרית יומיא, ut recepta inter Chaldaeos, regique nota, utitur; ex quo sequitur, ut non possit ex theologia Judaica, ejusque adeo aliqua arcana peritia, desumta esse.

אחשדרפנים *satrapae.*

Illis non dubitanter accedo, qui *satrapas* interpretantur, praeeuntibus LXX, nec in Esther ae solum libro, sed et Dan. III, 2. &c. ut ex Chisiano codice nuper sunt editi, inque eodem Daniele Vulgata. Alii, non proprio Persis vocabulo usi, habent, Theodot. Dan. III, 2. ὑπάτους indeque Arabs, الوزرا *Veziros*, vel ex Romana editione روساء *capita*, Vulgata in Estherae libro, *principes*, Syrus in Daniele et Estherae libro ܪ̈ܒܝ ܚܝܠܐ *principes exercitus*, sicque et in Estherae libro Chaldaeus אסטרטילסין.

Et hoc pro certo habeo, nomen muneris Persici natalibus esse Persicum. Varias variorum etymologias excerpsit, quem evolves, Simonis: ex his mihi verisimillima aut prope certa, quae quatuor ultimas literas דרפן confert cum دربان *ostiarius* a در *janua*, et بان *observator*, *custos*. At primis tribus literis, אחש, quid faciemus? Castellus quidem refert ad Persicum اخشن, *dignitas*, *majestas*, *honor*, *pretium*, verum hanc, *dignitatis*, *majestatis*, *honoris*, significationem, ex solo sumtam Ludovico de Dieu ad Esth. I, 1. nec ipse in lexico Persico habet Castellus, nec Meninski.

Liceat, quid suspicer, profiteri: Persicumne nomen fuerit شحدربان (Schachdarban) *regis ostiarius*, male, non a librariis, sed ab ipsis qui imperio Persico subfuerunt Judaeis, אחשדרפן pro שחדרפן vel שאחדרפן scriptum et appellatum, ut in exoticis saepe accidere solet? Graecum certe σατράπης ex شحدربان manifeste ortum, omissa, quam Graeci non recte exprimere valent, litera خ.

אחשורוש *Ahasvarus.*

Nomen proprium 1) patris Darii Medi, Dan. IX, 1. ubi LXX, in Daniele non graves auctores, nescio quo jure, Graece Xerxem vocant.

cant. 2) Ezr. IV, 6. *Cambysis*, Persarum regis, ut ex regum serie certum, Cyrum enim inter et Darium Histaspidem regnarunt אחשורוש et ארתחששתא, i. e. teste historia, Cambyses et Smerdes.

Sub אחשורוש Hebraicus liber historiam Estherae refert, id est sub Cambysen: secus Graecus. Vide notas germ. ad Esth. I, 1.

אחשתרנים *muli* Esth. VIII, 10.

De hoc nomine ita egit copiose et docte Bochartus T. I. l. II. c. 20. ut ad eum lectores tuto ablegare possim, non habens quod addam, praeter epicrisin citati Pliniani, quod p. 236. loco Estherae, *muli equarum filii*, explicando attulit: *gignitur etiam mula ex equo et asina, sed effrenis, et tarditatis indomitae.* Interrogavi viros rei peritissimos, qui diu in Italia versati sunt, mulorumque seminaria viderunt, sed negarunt, quae Plinius narrat, ut, donec novi testes adferantur, ad incerta referenda videantur. Omnes mulos, hos etiam qui ex equa gignantur, effraenes esse narrant, magisque, quam ipsos equos indomitos. At hoc inter mulum ex asina et equa genitum interesse referebant, quod ex asina natus minor multo sit, ex equa, major, foetu matrem sequente cujus utero aut comprimebatur, aut latius in eo habitabat. Majores autem muli minoribus sine dubio ad cursum meliores, quod majores gressus faciant, unde eodem numero gressuum intra datum tempus manente major plus spatii absolvat.

אַט, *gemitus*, *misericordia*, *lenitas*.

Arabibus أطّ *sonum exilem*, *gemitum* indicat, unde et ad *benevolentiam* et *misericordiam* transfertur. Hinc intelliges 1 Reg. XXI, 27. de Achabo ויהלך אט *incessit gemendo*, i. e. *gemebundus ac tristis*: Genes. XXXIII, 14. *proficiscar* לאטי *secundum miserationem meam*, i. e. *misertus gregis et tenellarum ovium*, *secundum pedem eorum qui mecum*

 sunt.

sunt, i. e. *ut ire oves tenellae possunt.* Poteris et huc referre 2 Sam. XVIII, 5. *secundum misericordiam agite mihi cum juvene Absalomo*, et Job. XV, 11. *verbum, quod tenerrima animi misericordia tecum loquimur.* Vide tamen et radicem לאט, de qua aliqui veterum cogitasse videntur.

אטים *ventriloqui* Jes. XIX, 3.

Varie jam veteres vocabulum ἅπαξ λεγόμενον interpretati sunt, LXX. ἀγάλματα, Syr. ܚܪܫܐ *magos*, Chald. חרשין *incantatores*, Vulg. *divinos*: recentiorum plerique *mussitatores*, i. e. qui obscura oracula mussitant. Quid si *ventriloquos* intelligamus, eadem praeeunte Arabia, cui أطّ inter alia est, *murmur edidit venter*, indeque أطيط *murmur ventris.*

אטד *rhamnus spinis oblongis.*

De אטד ita egit copiose et docte Celsius T. I. p. 199-209. ut ad illum, non compilatum, ablegare lectores fas putem. Pauca addo

1) Syris harmonice, sed aliqua literarum mutatione, (credo, quod *Hatdo* difficile pronuntiatu esset) est ܗܘܓܐ Ps. LVII, (al. 58.) 10. et Jud. IX, 14. 15. hocque ipsum ܗܘܓܐ Maronitica versio psalmorum عوسج Arabice reddit, quod novum est et insigne argumentum sententiam Celsianam confirmans.

2) His qui *rhamnum* vertunt, addendus quoque Josephus Ant. V, 7, 2.

3) Ex Ps. LVIII, 10. *antequam intelligatur, spinae vestrae* אטד *factae sunt*, suspicor, אטד non omnem rhamnum, sed majorem adultaeque jam aetatis significare: favet et etymon Arabicum ab أطّد *firmavit.*

4) Quae

4) Quae de ſpinis rhamni rectis et horrendis Celſius habet, ex his intelligendus, meliusque, quam fieri ſolet, vertendus Theodoretus ad Pſ. LVII, 10. ἡ δὲ ῥάμνος ἄκανθά μεν ἐστι μεγίστη καὶ ἰὸν χαλεπότατον βάλλουσα, *rhamnus eſt ſpina maxima, et ſpiculum diriſſimum emittens.* Spinae ſpicula vocantur, ob rectitudinem et magnitudinem. Vide imaginem rhamni aere expreſſam in Proſperi Alpini plantis Aegypti p. 21.

אָטֻם vel אָטוּם *clauſus.*

De feneſtris ponitur 1 Reg. VI, 4. Ezech. XL, 16. XLI, 16. 26. Clauſas vel coopertas interpretor, praeeunte Aquila, ex Arabico اطم *cooperuit*, id eſt, ſive totas extus clauſas aſſeribus, ſive, quod mihi potius videtur, quibus extus tabulae interraſiles (*Jalouſies*) obductae, lucem et liberum aërem admittentes, ſed proſpectum in templum prohibentes.

Syrus ܐܝܣܦܛܐ retinuit, ut in ſua lingua notum, ſed quod aliis ex locis non laudatur. LXX κρύπτας verterunt, quod meae interpretationi aut proximum aut idem.

Judaeorum non pauci *anguſtas* verterunt, feneſtrasque שקפים אטמים volunt eſſe, alii, *latiores intus, et anguſtiores foris*, ſic Chaldaeus interpres, itemque Arabs, alii, *patentes exterius et arctas intus*, ſic Thalmudici. Late hoc in Chriſtianorum commentarios et lexica immigravit, ipſeque Lutherus, *inwendig weit, und auswendig enge.* Et huic interpretationi opem fert Arabia, cui اطم inter alia *anguſtum* ſignificat; at שקפים quantum video nulli linguarum Orientalium *patens* vel latum eſt, unde hanc vulgatiſſimam interpretationem abdicandam reor.

אטון *linum xylinum.*

Nomen ἅπαξ λεγόμενον, et vero rei vel mercis Aegyptiae, Proverb. VII, 16. Errare videntur interpretes et lexicographi, tradentes, a LXX ἀμφιτάπους, verti: Hebraica חטבות אטון מצרים cum Graecis ἀμφιτάποις δὲ ἔστρωσα τοῖς ἀπ᾽ Αἰγύπτου, comparanti, potius חטובים ita reddi, et אטון aut omitti, aut ἔστρωσα verti videbitur.

Duplex se, pro duplici etymo, Orientali et extero, significatio offert.

Graecum ὀθόνιον si conferas, *linum*, erit. Obverti huic etymo possit, verisimile non esse, in Salomone nomen Graecae originis occurrere: verum jam monuit Forsterus in libro de bysso, ὀθόνιον, ut non pauca alia lini nomina Graeca, Aegyptium videri, ab Aegyptiis et Graecos et Hebraeos accepisse. Sic erit, *linum Aegypti*, i. e. linum bombycinum, byssus.

Ad Orientalem originem si referas, *funiculus* erit, ex Chaldaico אטון: sic erunt funes, ad latus lecti dependentes, artificium Aegyptium. Prius mihi quidem hucusque praeplacet.

אִטֵּר Jud. III, 15. XX, 16.

Dubitari nequit, quin אטר יד ימין, sit, *scaevola, qui manu dextera recte uti nequit.* Solum etymon addo, ab أطر *obligavit*, q. d. *ligatus manu dextera.* Hoc ipsum adeo etymon expressit Chaldaeus, גמיד vertens.

אי *regio, terra habitata.*

Nomen ad radicem אוה *habitavit*, referendum, (de qua num. 42. egi,) copiosius explicui in spicilegio geogr. T. I. p. 131. 132. quo lectores ablego. Antiquo Hebraismo non insulam significat, sed, *regionem, terram habitatam*, antonomastice illis de regionibus poni solitum, quas Japheti posteri habitabant, Europa, Asia minore, et Asia

septen-

ſeptentrionali verſus Orientem. Sed hic mihi liceat aliqua addere, aut corrigere.

Seriori Hebraismo libri Eſtherae inſulam quoque ſignificare faſſus eram, hac ſignificationum ſerie, *hoſpitium, portus, inſula.* Hoc quidem recte, coll. Eſth. X, 1. ſed in eo fui juſto liberalior, quod inſulae ſignificationem loco Danielis XI, 18. reliqui. Sequutus in eo Hieronymum eram, *Rhodum, Samum, Colophonam Phocaeam* intelligenti, quas Antiochus M. aut bello adgreſſus ſit, aut ceperit: (quamquam vel ex his Colophona et Phocaea in terra continente ſitae ſunt.) Male quidem ille, eumque ſequuti interpretes fere omnes: minima illae, quas dixit, inſulae urbesque pars belli fuerunt; Aſia minor, Thracia, Graecia, et quam ipſam invadere volebat, Italia, maxima et potiſſima. Vide notas ad locum Danielis. Hae ergo Danieli regiones אִיִּים.

Sed forte ejus loco ſcriptorem Danieli coaevum, Jeremiam, nominare fas fuiſſet, qui cap. XLVII, 4. omnium forte primus inſulam אִי vocavit, Philiſtaeos reliquias dicens אִי כַפְתּוֹר *inſulae Cypri.*

Et hoc addiderim, ſemel Ezechieli de India Orientali poni videri, c. XXVII, 15. איים רבים, *regiones multas*, vel *magnas*: merces enim, quae ex illis advehuntur, Indiam Orientalem clamant, et praecedens arcte conjuncta mentio *Daden*, regionem per ſinum Perſicum adiri ſolitam. Hic ergo latius aliquando ponitur, de terra non a Japhetitis, ſed aliis, habitata: quamquam, id enim fateri fas eſt, ex Moſe non certo conſtat, ad quem ex tribus filiis Noachi Indi referendi ſint.

Reliqua, qua adjicere poſſem, nimis mihi minuta videntur.

אֵי *non.*

Semel in Keri occurrit, vocali Tſere inſtructum Prov. XXXI, 4. idem ſine dubio ſignificans, quod alias אִי, non

אִיב nomen proprium vide n. 41.

אֵל *Deus*, quaere ſub אלה.

אַיִל pluraliter אֵילִם *aries*, *princeps*, *vir primarius et nobilis populi*.

De איל *ariete*, vide Bocharti hieroz. T. I. l. II. c. 43.

Aries tres annos natus, adeoque adultus hoc nomen accipit, antea עתיד. A robore ita dictum putant, nec obſtrepo.

Idem tamen nomen primarios quoque viros, nobiles, principes, phylarchas ſaepe ſignificat, (loca vide diligentius collecta a Stockio) aliis exiſtimantibus et hos tanquam *robuſtos*, aliis *arietes* figurate dici, quod aries dux gregis ſit. Equidem neutrum ad veri diſſimilia ablegarim: mihi tamen veri adhuc ſimilius videtur, *principis* ſignificationem ad radicem אול referendam eſſe, quae Arabibus, *primum*, denotat, أَوِلَ *praeceſſit*, (quo ipſo in verbo ob mediam rad. Kesratam Vau in Jod mutandum, إِيلَ) أَوَّلُ *primus*.

Pluraliter utrumque vocabulum ex regula אֵיִלִים ſcribi debuiſſet, ſed plerumque ob concurſum duplicis Jod quieſcentis in eadem voce poſterius omittitur, אֵילִם, quod vel ad ſignificationes diſtinguendas notandum, plerumque enim *Elim Dii*, אלים, — — *Elim arietes*, *vel principes*, אילם ſcribuntur. Nec tamen haec lex ita perpetua ut nunquam migretur. Plura dabo in grammatica Hebraica.

Hoc ipſum nomen, defective ſcriptum, Pſ. LVI, 1. occurrere mihi videtur, אֵלִם, non אֵלֶם adpellandum. Vide verſionem germanicam, et biblioth. Or. T. XII. p. 159. 160.

איל *frontiſpicium portae* 1 Reg. VI, 31.

Res ipſa clamat, illo quem dixi loco, *frontiſpicium eſſe triangulare ſupra portam*, *poſtibus impoſitum*, quod portae figuram ex quadran-

drangulo in pentagonum mutat. Unde dictum sit, ambigo, duplici se etymo ultro offerente,

1) ab איל *aries*, solent enim nonnunquam architecti nomen suae artis ab animalibus ducere. Sic Latini *capreolos* habent, sed alia significatione, nostri *fastigium acuminatum in quod architecturae Gothicae portae desinunt, nec tamen rectis lineis sed curvatis in angulum concurrentibus*, dorsum asinorum (*Eselsrücken*) vocant. *Arietem* forte frontispicium dixerint, a duplici ligno, quod cum cornibus arietis compararunt; aut a portando, quod alterum lignum alteri obversum illud sustinet. Sic et Arabibus أَآلٌ *lignum, quo aliquid fulcitur et sustinetur*.

2) ab أَوَلَ *anterior fuit*, quod frontispicia ultra portam anterius procedunt, unde et nostris *Vorlage* dicuntur.

Sed anceps et aleae plena etymologica de vocabulis architecturae disputatio, quorum pleraque vel in vivis linguis grammaticus et lexicographus ignorat. Sic ipsum illud, quod mihi vixdum exciderat, *Vorlage*, sensu architectonico copiosissimum non habet Adelungii lexicon.

Ergo nec mirari debemus, nihil hic, veteres, quod probari possit, dedisse. Omittunt LXX et Vulgata, – – Syrus vertit, ܡܥܫܢܝܢ *firmabant* postes &c. &c.

* * *

In Ezechielis visione de templo aliquoties אֵילִים pluraliter ut architecturae vocabulum recurrit, multa etiam inter אולם et אֵילִים lectionis varietate, ac saepe dubia: cui quid significet nondum certo expedire potui, architecturae imperitior, et ab interpretibus ejus peritis destitutus, nemo enim eorum, qui de templo Ezechielis commentari ausi sunt, vel mediocriter rem gessit. Ergo id quaerendum relinquo aliis, si qui forte in posterum architectura peritiam cum linguarum orientalium studio conjungent.

אֵילָה vel אֵלָה, pluraliter, אֵלִים, item אֵילוֹן et אֵלוֹן *terebinthus*.

Copiose de hoc vocabulo disputavit, veramque, ut puto, sententiam, terebinthum significare, non quercum, dixit Celsius P. I. hierobotanici, p. 34-58. auctoritate antiquorum interpretum usus: nec tamen rem ita perfecit, ut dubitari desierit. Videas certe vel primariae eruditionis viris eum non satisfecisse, eosque vel post illum *quercum* vertere. Nec enim veterum auctoritas, qua utebatur, certa, iisdem et *quercum* non raro habentibus: quod quidem decies ac sexies faciunt LXX, (loca a Trommio in concord. collecta) atque aliquoties parum sibi constans Josephus. Abrahamum ille quidem, LXX sequutus, habitasse narrat, *περὶ τὴν Ὠγύγην καλουμένην δρῦν*, *ad quercum, Ogygiam dictam*, Ant. I, 10, 4. ubi in Hebraicis est אֵלֹנֵי מַמְרֵא, Genes. XIII, 18. XIV, 13. Jacobumque idola uxorum occultasse *ἐν Σικίμοις ὑπὸ τὴν δρῦν* I, 21, 2. ubi in Hebraico est, תַּחַת הָאֵלָה אֲשֶׁר בִּשְׁכֶם Genes. XXXV, 4. Septuaginta quidem interpretes non puto a se ipsos dessentire, aut fluctuasse, sed ubi *quercum* vertunt, *Alla* et *Allon* (אֵלָה אֵלוֹן) adpellasse; Josephum autem qui eos sequitur, negligentiae ex nimia festinatione ortae non possum non adcusare, oportuisset enim memorem esse, se ipsum *αὐτόπτην* ibi locorum, ubi Abrahamus habitaverat, terebinthum, non quercum, vidisse. Hieronymum incertum sententiae fluctuasse intelliges ex commentario in Jeremiae II, 34. ubi אֵלֶּה, (pronomen,) male arboris nomen habuit: *sive, sub quercu, quae Hebraice dicitur ELLA, – – sive sub quercu atque terebintho.*

Novo ergo jam argumento opus est, auctoritate veterum non ita explorata, ut Celsium legens sperasses: hocque ipsa locorum in quibus אילון vel אילה fuisse olim dicitur, natura suppeditat.

Prope

Prope Hebronam ad אֵלֹנֵי מַמְרֵא habitabat Abramus, Genes. XIII, 18. XIV, 12. XVIII, 1. atqui ibi Josephi adhuc tempore, non illa quidem ipsa, sed tamen terebinthus antiqua, Abrahamicae propago, supererat. Sic ille de B. Jud. IV, 9, 7. δείκνυται δὲ ἀπὸ σταδίων ἓξ τοῦ ἄστεως τερέβινθος μεγίστη, καὶ φασὶ τὸ δένδρον ἀπὸ τῆς κτίσεως μέχρι νῦν διαμένειν, *sexto ab urbe stadio monstratur terebinthus ingens, dicunt, a creatione inde mundi durasse.* Ecclesiasticos scriptores, qui de eadem terebintho loquuntur, forte non satis idoneos testes, omitto, si cui tamen vel eos audire iubeat, Relandum sub *Chebrona* evolvat. Ne nunc quidem circa Hebronam prorsus interciderunt terebinthi, sed sive ex semine antiquae terebinthi sparso, sive ex radicis surculo, alia nata, qui enim per annos 1666. ad 1669. Orientem adiit *Franciscus Ferdinandus de Troilo*, pervetustam adhuc circa Hebronam prope templum 40 martyrum terebinthum reperit. Vide ejus itinerarium (*Orientalische Reisebeschreibung*) p. 424. 425.

1 Sam. X, 2. 3. proxime a sepulcro Rachelae memoratur אֵלוֹן תָּבוֹר. Hoc vero ipso loco Hadriani et Hieronymi tempore celebris terebinthus fuit, ad quam annuus mercatus, *mercatus terebinthi* dictus. Hieronymus ad Jerem. XXXI, 15. *quidam Judaeorum hunc locum sic interpretantur, quod capta Jerusalem sub Vespasiano per hanc viam* (ad sepulcrum Rachelae) *Gazam et Alexandriam infinita millia captivorum Romam directa sint. Alii vero: quod ultima captivitate sub Hadriano, quando et urbs Jerusalem subversa est, innumerabilis populus diversae aetatis et utriusque sexus, in mercato terebinthi venundatus sit, et idcirco exsecrabile esse Judaeis, mercatum celeberrimum visere.* Totum locum descripsi, ut ex orationis serie adpareat, *mercatum terebinthi* prope sepulcrum Rachelae habitum fuisse: male enim plerique, ipseque adeo Relandus p. 715. mercatum artificiose in festum mutans,

Hieronymum de terebintho Hebronensi intellexerunt, quae tot milliaribus atque adeo plus quam bidui itinere, a sepulcro Rachelae est sejuncta. — — Denique vel superiore seculo in vicinia sepulcri Rachelae, ubi olim אלון תבור, terebinthus celebris superfuit, mutato modo nomine *Mariae* dicta. Testis Troilo p. 382. itinerarii. *Der Terebinth-Baum Mariae. Ohngefähr von der heiligen Stadt drey Virtheil deutsche Meilweges ist uns auf derselben Strasse zur linken Hand ein Terebinth-Baum gezeiget worden, unter welchem die heilige Mutter Gottes, samt ihrem liebsten Sohn Jesu, als sie denselbigen von Bethlehem nacher Jerusalem in dem Tempel zu opfern getragen, soll geruhet haben, welcher von den Arabern erst vor wenig Jahren ist verbrannt worden.*

1 Sam. XVII, 2. 19. XXI, 10. memoratur עמק אלה, in qua Goliathus a Davide occisus: ea nunc ob terebinthorum copiam *vallis terebinthi*, Dappero in *descriptione Palaestinae* p. 431. 432. referente. Dapperus quidem non αὐτόπτης, nec citavit auctorem, ex quo haec sumsit: ab omni tamen suspicione falsi absolvendus, cum ipse putet, *vallem Ela*, *vallem quercus*, significare.

Hoc mihi argumentum satis certum. Arbores quercuum et terebinthorum modo longaevae, multa per secula durantes, (terebinthus ad decimum usque) in loco natali vix nisi vi plane intereunt, nova arbore revirescente: ubi nunc, aut Josephi tempore antiqua terebinthus, sacra adeo habita, ibi Samuelis Abrahamique tempore non quercum, sed terebinthum fuisse, pene certum.

Nomen promiscue scribi, plene et defective, si quis loca inspexerit, quibus legitur, ex Buxtorfii concordantiis petenda, suis oculis videbit. Id unum moneo, cum אֵילָה femininam terminationem habeat, pluralis אֵלִים masculinam, masculinam formam sing. אַיִל, a

lexico-

lexicographis omissam, occurrere videri Genes. XIV, 6. Graeci certe interpretes *terebinthum Faran* verterunt. Nec satis excutere animo suspicionem possum, licet nullo hucusque codice confirmatam, pro אויל, *stultum qui radices egerat*, Job. V, 3. legendum, *vidi* אֵיל משריש *terebinthum, quae altas radices egerat.* Quidquid sit, ex plurali אֵלִים prope certum, olim et singularum אֵיל in usu fuisse. Unde ortum sit, ab אֱיָל *robore?* an ex أَوَّل *prior, antiquus*, forte quod terebinthi, post tot secula superstites, primigeniae antiqui orbis haberentur, ut de Hebronensi finxerunt, eam ob orbe condito esse, malim ab aliis discere, quam ipse existimare.

אילון qui *vallem* verterunt, aut *pratum*, graecum αὐλὼν sine dubio contulerunt: magno illi quidem errore, Hebraicum enim nomen quis ex diversissima lingua Graeca interpretetur? Memini aliquos ita succurrere, ut dicant vocabulum ex Hebraica in Graecam linguam transiisse: sed obstat, primo quod etymon graecum nominis αὐλὼν ultro se quaerentibus offert, deinde quod in nulla omnino lingua Orientali sub radicalibus אול vallis significatio, ac ne etymon quidem unde dici potuerit, reperiatur. Error ab אילון ad איל quoque manavit: Aquila enim איל (אַיָּל, cervus) Ps. XLII, 2. *vallem* vertit, ὡς αὐλὼν πεπρασίασται, et pro איל פרן Genes. XIV, 6. Chaldaeus et Vulgata *campestria* habent, Arabs مرج *prata Faran.* Judaei adeo tempore Hieronymi אילה quoque de agro intellexisse videntur, ex quorum sententia אילה שלחה vertit, *agrum irrigum.* Vide Genes. XLIX, 21. Miraculo pene est, errorem tam late serpere potuisse, sed adolescens memini, vel patri meo, qui contra Graecas Hebraicorum vocabulorum derivationes disputavit, hic tamen graecum αὐλὼν placuisse; mihi ne tum quidem verisimile videbatur.

Secula durantes arbores, quercus et his longaeviores terebinthi, maxime si stent singulae aut paucae, geographiae monumenta fiunt, atque ut talia in itinerariis, atque ab historicis memorantur, urbibus etiam aliquando vicinis nomina daturae: ut in Shawii itinerario p. 41. (germanicae versionis p. 39.) *Fythe el Botum*, nec procul inde *Thyte el-Botum*. Idem et apud Hebraeos obtinet: habes ibi praeter vix dum memoratam איל פרן *terebinthum Faran*, אילוני ממרא, *terebinthos Mamre* ad Hebronam, *terebinthum ad Sichemum* Genes. XXXV, 4. quae forte et Jos. XXIV, 26. diu post recurrit, et Jud. IX, 6. אילון מצב *terebinthus perennis* seu antiqua dicitur: urbem etiam, *Terebinthum*, אילון Jos. XIX, 43. 1 Reg. IV, 9.

Nomen אילון cum sola dialecto Aramaea commune habet lingua Hebraica, hac tamen diversitate, ut Aramaeis אילן et إيلن generatim arbor sit, Hebraeis species arborum, *terebinthus*. Eamne κατ' ἐξοχὴν *arborem* vocitarunt? Hinc אילים *arbores*, Exod. XV, 27. XVI, 1. nomen proprium loci in Arabia, non terebinthos quidem, sed palmas, olim 70, nunc ultra 2000 habentis, non procul ab urbe Tor. Descripserunt eum αὐτόπται, *Shaw* p. 314. itinerum, (272. vers. germ.) et Forskål in Flora Aegyptio-Arabica pag. LXXXII.

אילת, אלות, et אילות *Aelana, ad sinum Arabicum* Deut. II, 8. 1 Reg. IX, 26. 2 Reg. XIV, 22. XVI, 6. 2 Paral. VIII, 17. XXVI, 2.

Celeberrima ad maris rubri sinum orientalem extremum urbs, Aelana exteris dicta, a qua et ipse sinus nomen accepit, Aelaniticus. Vide de ea Relandum, et Cellarium T. II. geogr. ant. p. 686. 687. a quibus dicta nemo hic repeti velit. Historiam aliquam urbis, primo Edomiticae, deinde Judaicae, postea Syriacae iterumque Edomiticae, ex ipsis, quae citavi scripturae locis facile contexere possis.

Magna

Magna orthographiae libertate Jod et Vau jam ponitur jam omittitur, ut in editis nostris אֵילַת Deut. II, 8. 2 Reg. XIV, 22. אֵלוֹת 1 Reg. IX, 26. אֵילוֹת 2 Reg. XVI, 6. 2 Paral. VIII, 17. XXVI, 2. nec sine varietate lectionis codicum manuscriptorum, ex quibus et sunt, qui plane defective אלת habent, unus Deut. II, 8. tres, 1 Reg. XIV, 22. Mihi quidem Vau quiescens in אילות cogitanti videtur nomen ubique אֵילֹת pluraliter adpellandum, non ut alicubi voluere Masorethae, אֵילַת. Arabes constanter scribunt, أَيْلَة, *Aila*.

Addo quae de Aila habet Abulfeda n. 3. Arabiae: *urbs fuit parva, satorum non multum habens, urbs Judaeorum, quorum aliquos in simias et porcos mutavit* (Deus). وهي مدينة اليهود الذين جعل منهم القردة والخنازير) *Ad litus sita maris Kolzom* (sinus Arabici), *et juxta eam via, qua Aegyptii Meccam proficiscuntur. Nostro tempore turris est, sedes praefecti Aegyptii: sativos autem agros nullos habet. Olim castellum habebat ad mare, quo destructo praefectus se in turrim contulit.* Memoriam ditionis Judaicae, sub qua olim Aila, fabula servavit. Nubiensis, Clim. III. P. V. (p. secunda et tertia ejus climatis in textu Arabico, quem consuli ipsum velim non ubique recte a Gabriele Sionita redditum) iter a Tor ad Ailam describens: *a portu Garm el bir, pergitur ad promontorium Abi Muhammedi, portum aqua* (dulci, quae bibi possit) *carentem, quod caput est* (summus vertex in mare procurrens) *jugi montium Ailam usque procurrentis.* (وهو راس عقبة الايل) *Est autem Aila urbs parva, in qua Arabes diversantur. Postea pergitur Aumadam* (عومد) *portum sine aqua. Ab urbe Madian ad Ailam sunt quinque stationes, ab Aila ad Gar viginti.*

אֵימִים *Emaei.*

Nomen proprium populi, qui olim Moabitidem habitavit, Deut. II, 10. 11. Defective ſcribitur אֵמִים in pleriſque impreſſis; Samaritana vero exempla, nec pauca Hebraica plene אֵימִים habent, ut legitur Geneſ. XIV, 5. quo ex loco adparet, planitiem quoque in qua Karjathain ſita Abrahami tempore ad Emaeos pertinuiſſe.

אִישׁ *deſperavit.*

أيس Arabibus eſt, *perrumpere, vim rei inferre,* atque etiam intranſitive, *perrumpi, molleſcere, deſperare:* idem quod يَبِسَ Hebraicumque יאשׁ. Hinc explico ἅπαξ λεγόμενον Jeſ. XLVI, 8. ſive, *molleſcite,* ſive adeo, *deſperate,* vos peccatores, idololatrae, apoſtatae. Male plerique, nec filo orationis apte, recentiorum pro denominativo ab איש habent, vertuntque, *viros vos praeſtate:* praeeunte Chaldaeo, אתקפו *fortes eſtote.* Veteres valde diſſenſerunt, LXX. στενάξετε et Vulg. *confundamini,* (qui meae explicationi proximi) Syrus, ܐܬܒܩܘ *conſiderate.*

אִישׁ *vir.*

Incertum etymon. Forte a *perforanda* femina dictus, ut haec a perforatione paſſiva, נקבה: ſed difficile ejusmodi nominum, quae in linguis prima ſunt, origines inveſtigare.

Volunt איש in ſtatu conſtructo aliquando omitti, ſed nulla video hujus ellipſis certa exempla, ne a Walthero quidem, adferri. Quod prima fronte veriſimillimum videri poſſit, 2 Sam. XXIII, 24. אלחנן בן דודו בית לחם (*Elchanan, filius patrui ejus, vir Bethlehemi*) ex capite petitum peſſime deſcripto, videturque potius ex loco parallelo 1 Paral. XI, 26. corrigendum, מבית לחם *ex Bethlehem.* Male hanc ellipſin transferunt ad Geneſ. XV, 2. ubi volunt דמשק idem eſſe quod, איש דמשק.

Nec

Nec impersonales constructiones, quales sunt, Genes. XLVIII, 1. ויאמר ליוסף, per ellipsin nominis איש explicari velim, sed potius participium ejusdem verbi subintelligi, collatis plenis constructionibus quas in grammatica excerpam. Semel tamen, 1 Sam. IX, 9. איש impersonaliter ponitur, ut nostrum, *man*, *ehedem sagte man in Israel*.

אישון עין *pupilla oculi.*

His non dubitans accedo, qui pupillam dici tanquam *virunculum oculi* arbitrantur, (in ון enim terminata aliquando diminutiva) quod oculos alius ex propinquo intuentibus viri pusilli, i. e. nostra species se offert. Contulit jam recte Coccejus בת עין *filia oculi*, et إنسان العين. Fateor, puerile et ludens videri etymon posse: sed meminerimus, aliquam partem linguarum et pueris deberi, quorum ex ore patres vocem arripiunt, suamque faciunt.

איתיאל Prov. XXX, 1.

Pro nomine proprio habent plerique, mihi secus videtur, legendumque לָאִיתִי אֵל *defatigatus sum Deo*, i. e. *philosophando de Deo defatigatus sum*. Plura dicam in ea bibliothecae Orientalis parte, in qua lectionum variarum in Proverbiis praelatarum rationem reddam.

אֵיתָן et אֵתָן vide sub יתן et אתן.

איתון Ezech. XL, 15.

Vocabulum, de cujus significatione nihil certi habeo, cum ne de lectione quidem constet. Diffident veteres: LXX exque illis Arabs, *extimam* portam interpretantur, Chaldaeus et Syrus mediam. Onkelosus forte pro ipsius templi nomine habuit, בני אתנו Genes. XLIX, 11. vertens, *aedificabunt templum.* Nil opis ferunt linguae Orientales. Tres codices sine Jod habent, האתון.

Chethib היאתון videtur ut verbum explicandum, He ut pronomine relativo posito: *porta per quam veniebant*, i. e. *intrabant.*

אכר

אכד *Nesibis* Genes. X, 10.

Vide Spicilegium geographiae T. I. p. 226.

אכף *sarcinas imposuit, ad laborem adegit.*

Verbum ἅπαξ λεγόμενον Proverb. XVI, 26. olim ad aliam radicem כפף referebant: multo melius Schultensius ad اكف *clitellas*, vel *sarcinas imposuit: os ejus clitellas imponit ipsi*, i. e. *fames eum ad laborem stimulat*. Syris quoque ܐܟܦ est, *urgere opus*, ut Proverb. VI, 7. ubi שֹׁטֵר *exactor*, redditur, ܡܢ ܕܐܟܦ ܒܗ, *qui cogit ad laborem, qui opus urget*. Praeivit jam Vulgata Schultensio sententiam, *compulit*.

אֶכֶף *adcusatio.*

Et hoc ἅπαξ λεγόμενον Job. XXXIII, 7. recte ex Arabico اكاف *clitellae, sarcina*, interpretatus est Schultensius, *non gravis tibi erit sarcina mea*. Praeiverat jam Chaldaeus, טוני *onus meum*. Meminerimus autem, crimina ab Arabibus oneri comparari, quod dorso portamus, nec excutere possumus: vide Coran. Sur. VI, 31. 164. XVI, 27. XVII, 16. XX, 100. XXV, 19. XXIX, 11. 12. XXXIX, 9. LIII, 38. unde onus in oratione Elihui erit, *adcusatio*, (ut nos Germanice dicimus, *einem ein Verbrechen aufbürden*) *non gravis erit tibi adcusatio mea*.

Harmonice vertit Syrus ܐܘܟܦܬܝ, sed de hujus nominis significatione ex usu linguae non constat: Arabs Syriacum vocabulum vertit اقبالي. idne est, *adversatio, adcusatio mea?*

אלה *benevolus fuit, juravit.*

אל *Deus* plur. אֵלִים et אֵלֹהִים.

Communis prope omnium error, hoc *dei* nomen ad radicem איל retulit, a robore deum dici autumans, *fortem* κατ᾽ ἐξοχὴν, *Deum fortem*.

fortem. Mihi quidem etymologia minus quam aliis cordi, hic tamen error omnino corrigendus videtur, qui prope omnia lexica invasit, quod alios errores graviores peperit. Primo enim multi interpretes nec unius sed plerarumque linguarum eum in suas versiones receperunt, *Deus fortis*, *starker Gott*, *der mächtige*, *der starke*, quos nolim omnes nominare, cum quia prope infinitum est, tum quod hi, qui ita errarunt, reprehensione digni videntur, viri alias eruditi atque acuti, omnique laude dignissimi, quorum nomina cupio semper honoris caussa ponere. Interpretis non est, etymologiam, si vel vera esset, exprimere: nostrum *Gott*, si quis a *Gut* (*bonus*) ortum arbitretur, tamne sit vecors, ut germanica, *ich bin der allmächtige Gott*, latine vertat, *ego sum bonus Deus omnipotens?* Aut si quis, alio errore, Dei nomen ab אלה, *jurando*, derivandum putet, licuerit illi quidem errare, sed tamne foret vecors, ut אֵל verteret, *juratorius Deus?* Hic tamen vix quenquam adcuso, ita enim communis est error, ut vel multitudine eorum, qui unus alterum sequuti sunt, quantumvis turpis, ignoscendus tamen videatur. Sed aliud accedit, quod pluralem *Elim*, qui significare multa potest, *Deos*, *arietes*, *primates*, non solum nulla orthographiae lege, quae tamen in promtu erat, distinxerunt, sed et plane confuderunt, nulla omnino habita orthographiae ratione, quod in ipsas adeo Buxtorfii concordantias, aegre nec sine labore hic evolvendas, irrepsit. Ergo non inutilem susceperimus laborem, si hunc lexicis, commentariis, interpretibus, errorem excutiamus.

Primo ergo, ut patrem meum jam tum monere memini, cum ab illo literas Hebraicas adolescens discerem, ipseque Cocceji lexico adscripsit, puncta vetant ad radicem איל referri, quia vocalis in nominibus propriis אֱלִיהוּא, אֱלִידָד, אֱלִיאָתָה, אֱלִיאֵל, אֱלִיאָב, אֱלִיחֹרֶף,

, אֱלִיפֶלֶט, אֱלִיפָז, אֱלִיעָם, אֱלִיעֶזֶר, אֱלִימֶלֶךְ, אֱלִיחֹרֶף
, אֱלִישָׁמָע, אֱלִישׁוּעַ, אֱלִישָׁה, אֱלִישֶׁבַע, אֱלִיצָפָן, אֱלִיצוּר
אֱלִישָׁע, אֱלִישָׁפָט (quae quidem ex indice onomaſtici Simonis excerpo) magna conſtantia perit, ejusque loco Chateph Saegol ponitur: quod ſi vocalium rationem haberi debere neges, addebat alterum, ſe nuſpiam EL Deus per Jod ſcribi meminiſſe (*), addiderim, ne nomina quidem propria ab אל derivata, quorum ingentem copiam Simonis onomaſticon p. 487-510 dabit.

Ergo, niſi forte placuerit in paucis hoc numerare nominibus, quae a verbis non orta ſunt, putem ad radicem אָלָה (cum He quieſcente) referendum eſſe, nec vero ad אלה *juravit*, hoc enim potius denominativum eſt ab אל, *per Deum adfirmare,* ſed ad أَلَّو vel أَلَّى *benefacere alicui*, plane ut nos deum a bonitate Gott dicimus. Quo tamen de etymo uteunque ſtatuatur, unum nolim, ad איל referri.

Soli Hebraei et Samaritani nomen habent, (hi quidem אל ſine Jod ſcribentes) Arabes plane ignorant, in Syriacis aliquoties occurrit per Jod ſcriptum ܐܝܠ, ſed ut exoticum, e. g. Matth. XXVII, 46. ad Graecum Ηλι exprimendum; de quo plura ad lexicon Syriacum. Jurandi tamen verbum, ſi ab hoc nomine factum, Arabes quoque ſub أَلَّى et تَأَلَّى habent, unde veriſimile, olim et his Deum *El* vocatum fuiſſe.

Plura-

(*) Hoc obſervatum et pertinet ad lectionem variam Ezech. XXXI, 11. rectius intelligendam. אל גוים, quod editi plerique habent, eſt, *Deus gentium*, Nabochodonoſor, cui gentes non magis reſiſtere quam Deo poſſunt: quod ex triginta codicibus citat Kennicottus, איל, *princeps gentium*, *dux gentium*, vel etiam, *prima gentium*, i. e. potentiſſimus terrarum orbis populus.

Pluralis eſt אֵלִים ſine Jod poſt Aleph, male lexicis אֵילִם et אֵלִים confundentibus: unde enim quaeſo in plurali Jod, quod in ſingulari nuſpiam reperitur? Ergo, ubi אֵילִם, אֵילֵי legis, certus pene eſſe vel ex ſola grammatica poſſis, non *deos* intelligendos eſſe, ſed *arietes*, *primates*. Quamquam et hic plerumque alia accedunt, contra *deos* facientia. Inſigni exemplo utar Exod. XV, 15. אֵילֵי מוֹאָב in receptis certe editionibus legitur, id quidem ſi verum ſit; (pauci enim, fateor, Kennicottiani codices diſſentiunt, אֵלֵי habentes) non debebat verti, ut aliqui fecerunt, *Dii Moabi*, ſed, *principes Moabitarum*. Ita vero ſine dubio vertendum, vel tota hae de Jod demta quaeſtione, ex parallelismo membrorum, in praecedente enim membro verſus nominabantur, אַלּוּפֵי אֱדוֹם, *phylarchi Idumaeorum*; quos ergo hic exſpectes, *Deos*? an *principes* Moabitarum?

At ubi אֵלִים ſcribitur, poteſt non invita grammatica, *dii*, reddi, (*poteſt* inquam, non ſemper debet, poſſit enim et eſſe אֵילִם defective ſcriptum) quo retulerim, Exod. XV, 11. Pſ. XXIX, 1. LXXXIX, 7. (hunc quidem locum valde dubium, ſuſpicor enim אֱלֹהִים legendum pro אֵלִים, cujus ſuſpicionis rationes reddidi in bibliotheca Or. T. XIX. p. 139.) Job. XLI, 17. Dan. XI, 36. Eſt quidem et his in locis jam aliqua varietas lectionis, jam magna, librariis, quis miretur, cum et grammatici ac lexicographi fecerint? אֵלִים et אֵילִם confundentibus. Quae quidem varietas duplicis eſt generis. Merum enim ſphalma librariorum eſſe putem, quod Exod. XV, 11. ſex codices Samaritani, (in quaeſtione de plenis et defectivis contemtiſſimi jure teſtes) et duo Hebraici, ſed et hi nullius momenti, באילים habent, unusque codex, ſed recentior, (166 Kennicotti) Dan. XI, 36. אל אילים. At alia ratio Pſ. XXIX, 1. LXXXIX, 7. Job. XLI, 17. ubi varietas lectionis ſententiam adficit, et quaeri poſſit, utra verior videa-

 tur.

tur. Quod enim in psalmis aliqui codices habent, בְּנֵי אֵילִים, non modo reddi possit, *filii magnatum*, vel, *potentum*, sed etiam priore in loco a multis ita redditum est: et Jobi XLI, 17. ubi magna lectionis varietas, si אֵילִים legas, verteris, *eum horrescunt magnates*, vel, *validi*.

Unico loco Exod. XV, 11. biblia nostra vulgata, multique codices, etiam Jod plurali omisso, בָּאֵלִם habent. Eodem modo literas אלם adpellandas esse suspicor, Ps. LVIII, 2. non, ut punctatores voluerunt אֵלֶם sed, אֵלִם, *Dii*, deorumque nomine magistratus intelligi, ut saepe apud Hebraeos. Vide versionem psalmorum germ. et bibliothecam Orientalem T. XII. p. 160.

Sunt et phrases aliquae paulo exponendae curatius.

1) יֵשׁ לְאֵל יָדִי, *est pro deo manus mea*, i. e. *possum, valeo*, Genes. XXXI, 29. Mich. II, 1. Phrasis plerisque non intellecta, unde factum ut alii, אֵל, nulla lectionis varietate sine Jod scriptum, *potentiam*, *vires* ab אַיִל interpretarentur, alii pro אֵלֶה positum arbitrarentur; *est ad haec manus mea*.

Mihi quidem praeplacuit explicatio patris mei, quam et ex ore ejus adolescens didici, et bibliis suis adscripsit: *manus mihi pro deo est*, i. e. *nullo deo adjutore opus habeo*, *manus mihi sufficit*, *ac pro Deo est*. Sic plane apud Virgilium Mezentius, Aen. X, 773.

Dextra mihi Deus, et ferrum quod missile libro
Nunc adsint! voveo praedonis corpore raptis
Indutum spoliis ipsum te, Lause, tropaeum.

et libr. XII, 95. 96. Turnus,

nunc, o nunquam frustrata vocatus
Hasta meos, nunc tempus adest. — —
— — da sternere corpus

Lori-

Loricamque manu valida lacerare revulsam
Semiviri Phrygis

Quem imitatus Statius, in Thebaidis libr. II.

virtus mihi numen et ensis

et libr. XII.

adsis mihi dextera tantum,
Tu praesens bellis et inevitabile numen,
Te voco, te solam superum contemtor adoro.

Impia quodammodo vox, vel in hunc usque diem a milite glorioso saepe audita: ipse me eam audire memini a duce Gallico, exercitu ad Rosbachianam cladem hinc proficiscente, ac ridente, multa de Deo dici, praeliorum arbitro, se tamen semper animadvertisse, Deum ab illis partibus stare, ubi plures centuriae et turmae, (*le plus des Batail-lons et des Escadrons*) sed cui rex Borussiae hunc errorem die 5 Novembris 1757 exemit. Impietati tamen nonnihil decedit, ubi phrasis vulgata.

Nec soli ita Europaei, sed apud ipsos Hebraeos eadem praepotentis, Deumque contemnentis, *manum, gladium, vim*, pro Deo habentis imago, et vero ubi non אל sed aliud dei nomen אֱלוֹהַּ ponitur. Job. XII, 6. fortius etiam, אשר הביא אלוה בידו, (*rebelles Deo* antea nominati erant, describunturque injusti) *qui deum adfert in manu sua*, i. e. cui vis et gladius pro jure et Deo est. Signantius etiam, et quod propius abest a Virgilii et Statii versibus supra citatis, Habacuc. I, 11. de praepotentibus Chaldaeis, זו כחו לאלהו *haec vis est illi Deus*, et paulo post v. 16. *propterea sacrificat reti suo, eique suffitum facit, quod per illud pinguis est reditus ejus.*

2) *Res magnae a deo denominatae, ut* אַרְזֵי אֵל, *cedri dei.* Phrasis, ut mihi videtur rarior, nec de rebus magnis omnibus, sed de illis

 modo

modo usitata, quarum magnitudo Deum auctorem prodit: sed qua aliqui mire abutuntur, hoc, quod volunt, linguae idioma ad multa, non veteris solum sed et novi foederis loca transferentes. Certa exempla non nisi tria habeo, Ps. XXXVI, 7. הררי אל, *montes magni*, Dei, seu ut nos forte diceremus, naturae opus, vel uni enim monti, et vero ex mediocribus, ne maximi quidem regis populive vires sufficerent, nedum magno, ut Libano: Ps. LXXX, 11. ארזי אל, *cedri, quas hominum manus non plantavit, sed quae in solo naturali tantae crescunt, ut deum illas plantasse dixeris;* sic et, alio divino nomine posito, Ps. CIV, 16. עצי יהוה *arbores Jehovae*, ubi ipse statim scriptor explicat, *cedri Libani, quas plantavit*, plane ut Num. XXIII, 6. (secundum vocales) xylaloen deus plantasse dicitur. Nempe, ut ait Virgilius, sed *naturae* nomen ponens, Georg. II, 47. 48.

Sponte sua quae se tollunt ad luminis auras,
Infecunda quidem, sed laeta ac fortia surgunt,
Quippe solo natura subest:

aut ut Locmanus in fabula 15, sponte crescentia ideo pulcriora et fortiora, quod ea sua mater, natura, educat.

Quartus locus, Jon. III, 3. ubi Ninive dicitur *urbs magna* לאלהים *Deo* (alia constructione, in dandi casu) dubius: possit enim esse, *quae non sine singulari numine ad tantam pervenit magnitudinem*, — — sed et, *quae ob ingentem incolarum multitudinem ad Dei curam pertinet*, quam significationem versus ultimus capitis quarti commendare videtur. Quinti, quem adferunt loci 1 Sam. XIV, 15. alia esse videtur ratio, licet de magno terrore eum agere non negem: חרדת אלהים *terror est divinitus immissus*, Panicum latine diceres.

Quod alii addunt sextum exemplum, שלהבתיה Cant. VIII, 6. nihil ad rem: *flamma* enim *Jehovae*, si ita vertere lubeat, flamma erit

animis

animis hominum divinitus indita; ſed forte melius extuleris אֵשׁ שַׁלְהֶבֶתְיָה, *ignis flammans.* De ſeptimo, omnium minime probabili, מאפליה Jerem. II, 31. ſub אפל diſpiciemus.

אֱלִיפַז nomen proprium.

Solius filii Eſavi Geneſ. XXXVI, 4. ſi nomen proprium eſſet, ſuperfluam haberem de ejus ſignificatione diſputationem: at cum et nomen fictae perſonae ſit, Job. II, 11. IV, 1. prudentiſſimi ex his, qui cum Jobo diſputant, offeratque ſe ejus interpretatio, ab ea quae fingitur perſona alieniſſima, *Deus meus aurum*, i. e. aureos deos colo, vel, aurum pro Deo colo, aliquid de ea dicendum videtur. Ego vero in bonam partem accipio, *Deus mihi auri*, *omnium divitiarum loco eſt*: eadem ſententia, quae Eliphazo Job. XXII, 25. forte cum alluſione ad hoc ipſum nomen, ex ea ductum, tribuitur.

אלגביש *glacies*, *grando*.

Non occurrit, niſi Ezech. XIII, 11. 13. ſed ex filo orationis manifeſtum, majoris grandinis nomen eſſe, ſolo latente etymo. Mihi quidem nomen Arabicum eſſe videtur, ſervato adeo articulo أل, *glaciemque*, (*κρύσταλλον*) ſignificare, ut גָבִישׁ Job. XXVIII, 18. *κρύσταλλον*, gemmam. Ortum putem a جبس *concrevit*, *congelatus eſt*; M more Arabum ut B adpellato. *Lapides glaciei* ſunt, grando major.

אֱלֹהִים אֱלוֹהַּ *Deus.*

Difficilis eſt de etymo nominum quorundam primorum et antiquiſſimorum diſputatio, quod verba forte ex nominibus orta et denominativa ſunt. Manifeſtum tamen errorem damnare licet, lexica foedantem, qui plane contra grammaticam אֱלוֹהַּ cum He Mappikato ad אָלָה *juravit*, cum He quieſcente, refert: potius hoc ipſum אָלָה denominativum putem eſſe ab אֵל, q. d. *per Deum aliquid adfirmavit.*

Multo

Multo verisimilior eorum sententia, qui ab أَلِهَ *attonitus fuit*, derivant: ut multa alia Dei deorumque nomina a timore ducta sunt. Vide coll. crit. in Ps. XL, 5. pag. 299.

Singularis, maxime in Jobi libro, plerumque plene scribitur, אֱלוֹהַּ, ut Arab. إِلَاهٌ, at pluralis defective.

Pluralem majestaticum habeo, consvetudine patriarcharum nomen Phoenicium ex polytheismo plurale, melius interpretante, atque plerumque cum verbo et adjectivis singularis numeri construente. Ad mysterium trinitatis referri omnino nequit,

1) quod vel ibi in plurali ponitur, ubi ex mente theologorum de una modo triadis sacrae persona sermo est, ut Ps. XLV, 7.

2) quod et gentium unus aliquis Deus pluraliter אלהים dicitur, ut Astarte, 1 Reg. XI, 33. Baal muscarum, et vero is qui Ecronae colebatur, 2 Reg. I, 2. 3.

Sanctam triadem si אלהים significasset, multo notior, usuque adeo linguae quotidiano tritior sub prisco foedere fuisset haec doctrina, quam sub novo.

Magistratus, quod Dei loco de jure responderent, אלהים dictos fuisse, notum atque vulgatum: quod eorum nomen cum jam in Mose occurrat, ex eoque ductum sit, Exod. XXI, 6. suspicari possis, ex usu Aegyptiorum fluxisse. Diodorus Sic l. I. c. 90. *διὰ δὲ τὰς αὐτὰς αἰτίας* (nempe grato animo, quod bene de ipsis mereantur) *δοκοῦσιν Αἰγύπτιοι τοὺς ἑαυτῶν βασιλέας προσκυνεῖν καὶ τιμᾶν, ὡς πρὸς ἀλήθειαν ὄντας θεούς. Ἅμα μὲν οὐκ ἄνευ δαιμονίου τινὸς προνοίας νομίζοντες αὐτοὺς τετευχέναι τῆς τῶν ὅλων ἐξουσίας, ἅμα δὲ τοὺς βουλομένους τε καὶ δυναμένους τὰ μέγιστα εὐεργετεῖν, ἡγούμενοι θείας μετέχειν φύσεως.*

Et

Et hoc vulgatum, אלהים nonnunquam de angelis poni, jam, quod naturae divinae propiores sunt, jam quod pro diis colebantur, unde et verus Deus, אלהי האלהים dicitur. Veterum aliquos, qui אלהים ita intellexerunt, collegi in nota 19 ad Hebr. I, 6. Vide et notam 41. ad Hebr. II, 7. In psalmo certe VIII, v. 6. vix potest nisi de angelis accipi. Possit et huc trahi Genes. XXXV, 7. et pluraliter constructum nomen, כי שם נגלו אליו אלהים verti, *quoniam ibi visi erant illi angeli.* N. L.

אָלַל *gemuit.*

Verbum أل Arabibus est, *concuti*, *commoveri*, *perturbari*, *gemere*, unde أَلِيل *gemitus.* In codice Hebraico semel occurrere videtur, sed aliis vocalibus animandum, Joel. I, 8. אֱלִי *ingemisce*, *luge.* Qui puncta אֱלִי substraverunt, ad notius sibi verbum Aramaeum, אֱלָא, et אֵלָּא *ejulavit*, *planxit* retulerunt; nec obstrepo: ex Arabico tamen verbo est ejulandi particula Hebraica אללי, forte et ipsa particula prohibitiva אַל, ne! proprie, *vae!*

אֱלִיל *deploratus*, *foedus*, *falsus Deus.*

Magno satis consensu *nihilum* vertere solent, dictum ab אַל: quod quidem mihi valde suspectum. Primo enim hanc significationem in reliquis linguis Orientalibus, Arabica, Syriaca, Samaritana plane non habet; deinde nihilum non a particula prohibitiva sed negativa לא dici debuisset: nec tamen nego antiquam interpretationem esse, veterumque aliquos eam nostris praeivisse. Mihi quidem dividenda quaestio videtur, verbum enim plures in linguis Orientalibus significationes habet.

1) *Deploratum*, *miserum*, bene significare posse videtur Job. XIII, 4. (*) *medici deploratorum estis*, i. e. tam imperiti medici, ut

qui vobis utuntur, jam prope pro mortuis habendi sint. Forte et huc non male retuleris Zachar. XI, 17. רעי אליל *pastores deplorandarum*, i. e. *miserarum ovium*: quamquam et hoc loco possit esse.

2) *stultus*, *mente debilis*, ut parallelismus versus 15 exigit, ubi אוילי legitur. Sic certe Chaldaeus et Syrus ibi verterunt, (טפשׁא et ܣܟܠܐ) licet nulla in codicibus Kennicottianis sit varia lectio. Syris quidem ܐܠܝܠܐ est *debilis*, quod et ad inopem consilii transfertur, ut apud Assemanum T. I. bibl. p. 462. *his cogitationibus multum* ܐܬܡܚܠܬ ܗܘܝܬ *debilitatus sum*, cui deinde opponitur, *cogitationes meae* ܐܬܚܝܠܘ *confirmatae sunt*. Quin et ܐܠܝܠ Syris *barbarus*, *imperitus in sermone*. Haec ergo certe in Zacharia praeferenda significatio videtur, forte et ad ipsum Jobi locum transferenda, *medici stultitiae* i. e. *stulti*.

3) Frequentissime *idola*, *falsos gentium deos* significat, multiplici se etymo offerente, sive, *deplorati*, i. e. *mortui* dii, quales non pauci Aegyptiorum, et mortales, dii facti, sive ex Syriasmo, *debiles*, sive, quod reliquis praetulerim, ex أَلَّ *alteratus*, *corruptus fuit*, *foetuit*, ut alio nomine *stercora* (גִּלּוּלִים) dicuntur.

4) De falsis oraculis ponitur, Jerem. XIV, 14. sive per ellipsin, *oraculum deastri*, sive a debilitate et stultitia: *divinationem*, *stultitiam*, *et fraudem cordis sui loquuntur*.

אֱלוּל *mensis sexti nomen*, *nostro Septembri respondentis*.

Semel in Hebraicis occurrit Nehem. VI, 15. sed reliquis linguis Orientalibus frequentius, me judice his punctis instruendum, אֱלוּל, Arabibus enim et Aramaeis ܐܝܠܘܠ et أَيْلُول scribitur: qua sola ortho-

(*) Scribitur ibi in vulgatis editionibus אלל defective, at multi codices אליל habent.

orthographia jam ſatis damnatur conſvetum etymon a *nihilo* (אליל) gratis ſumto, ſive, quod eo menſe nihil in agris ſit, finita dudum meſſe, (illa vero Julio menſe jam finita erat) ſive *nihilo* pro fine anni poſito. Illud Caſtellus ſumebat, hoc Simonis. Veriſimilius, dictum eſſe a ילל *ejulare*, forte quod aliquis Babyloniorum luctus publicus eo tempore, quo menſibus nomina data, in Septembrem incideret: ſed quis ex tanta antiquitate (vide pag. 26.) hiſtorica nobis adferat? Ergo malim etymon, ut alia multa, ignorare.

אולם *olim*, *antiquitus?*

Significationibusne particulae et haec ex Geneſ. XXVIII, 19. Jud. XVIII, 29. addenda, *olim? prius? antiquitus?* Certe melius ibi locum tuetur, quam SED, poſſetque ex Arabico أَوَّل et أَوَّلًا *primum*, ejus ratio reddi. — — LXX utrobique pro parte nominis habuerunt, Οὐλαμλους, et Οὐλαμμαις, (errore librariorum pro ΟΥΛΑΜΛΑΙΣ ſcribentium ΟΥΛΑΜΜΑΙΣ) quod nomen jam adpellative foret, *veſtibulum amygdali*, et, *veſtibulum leonis*. Vide plures ita ſentientes in Relandi Palaeſt. p. 358. et Simonis Onomaſt. p. 876.

אלמודד. *Almodad*.

Nomen populi Arabici, a Joctane orti, Geneſ. X, 26. de cujus ſedibus nihil certi habemus. Vide *Spicilegium geogr.* T. II. p. 153.

אלסר *Elaſſar*.

Semel occurrit nomen proprium Geneſ. XIV, 1. Fuerunt, qui idem putarent cum תלאשר 2 Reg. XIX, 12. Thargumque Hieroſolymitanum auſum eſt, hoc nomen reponere. Mihi non veriſimile, vix enim video, quomodo א et ת permutari, niſi errore librariorum, potuerint, quem hic adcuſare nolim, nulla in codicibus varietate lectionis occurrente. Accedit, quod me judice תלאשר per Schin, et cum Aleph omnino ſcribendum eſt.

Ponti regem Vulgata habet, ejus nempe, qui eſt in terra Sinear. Vide Spicileg. geogr. T. I. p. 233. 234. II. p. 82. quibus argumentis ductus? ignoro.

Huriſtan (حوسستان) regionem Perſiae ad orientem Tigridis in ſinum Perſicum influentis, Arabs interpretatur, cui favet vicinia Elymaidis. Huriſtan latius ſumto nomine, quatuor regiones complectitur, Elamitarum, Suſiorum, Huſiorum (Ahvaz) et Cuſſaeorum, ita tamen ut Huſiis magis ſit proprium, quorum metropolis Ahvaz alio nomine Huriſtan dicitur. (Spicileg. T. II. p. 68. 70.) poſſit ergo Moſi Elymais עֵילָם eſſe, et Ahvaz אלסר. Nominis vero ſive *Elaſſar*, ſive, ſi aliter paulo efferre placeat, *Elſar*, nullum in hac regione invenire veſtigium potui, nec invenit conſultus a me Büſchingius, praeter, *Sauram* vel *Sorram*, alio nomine *Daurek* dictam quam delineationes geographicae veteres eo loco ponunt, ubi d'Anvillius Daurek (دورق Arabicis literis ſcribit Abulf. n. 305.) Ergo nondum liquet, donec compertum habeamus, quibus literis Arabicis nomen *Sorra* ſcribatur.

אלישה *Hellas*. Geneſ. X, 4.

Cauſſas, ob quas haec mihi veriſimilior viſa eſt interpretatio, diſces ex Spicilegio geogr. T. I. p. 79-81. Vide et de varia lectione verſus ſecundi p. 40-44.

אם *mater*.

Semel et de noverca ponitur, Geneſ. XXXVII, 11. quae alias Hebraeis non *mater*, ſed, *uxor patris* (אשת אב) dicitur. Vide fabulam Locmani XV, ubi أمّ *mater* et امرأة أبيه *uxor patris* i. e. noverca, ſibi opponuntur.

2 Sam. XX, 19. אם pro *metropoli* poni, jam dudum ab aliis monitum: addere liceat uſum linguae Phoeniciae, ex duobus nummis,

quos

quos delineari curavit Swinton in *Gentlemans-Magazine Dec. 1760.* pag. 560. לאדכא אם בכנען *Laodicaeae, matris in Canaan,* et לצר אם צדנם *Tyri, matris Sidoniorum.* Hic mater sine dubio metropolis, nec enim Sidon a Tyriis condita, ut per errorem putabat Barthelemy, sed Tyrus multo recentior a Sidoniis. Similem phrasin sed Arabibus paulo rariorem, invenies in Abulfedae Syria p. 80. ubi de Caesarea, وكانت من امهات البلدان *fuit una ex matribus civitatum.*

In lege, de *hoedo in lacte matris non coquendo vel assando,* Exod. XXIII, 18. XXXIV, 16. Deut. XIV, 21. suspicor, non ejus ipsius, qui coquitur hoedi, matrem intelligi, sed generatim omnes capras, plane ut Arabes capram ام السخال *matrem hoedi,* dicunt. Vide me de *legibus Mosis Palaestinam populo caram facturis* §. 10.

אַמָּה *cubitus.*

Cubitus hominis Hebraeis est, non, ut vult Coccejus Judaeos sequutus, *a flexu brachii usque ad medium digitum extremum,* (quis unquam ita cubiti nomen accepit?) sed a *flexu brachii usque ad manum.* Caeteris linguis Orientalibus vocabulum אמה hoc significatu ignotum.

Maximo interpretum, et vero jam antiquorum, dissensu de phrasi 2 Sam. VIII, 1. disputatur, ubi David *e manu Philistaeorum* מתג אַמָּה *accepisse* dicitur. Mihi verisimillima interpretatio Schultensiana, ad Job. XXX, 11. prodita, *fraenum brachii accipere,* esse, *Philistaeos sibi subjicere, inque deditionem accipere.* Sic illo monente Haririus in consessu quarto habet, *non trado fraenum meum,* i. e. non me ei subjicio: historia Tamerlani p. 122. *non tradidit Idgovo capistrum,* i. e. obedientiam ei praestare noluit, et p. 243. *estote, ut progenitores vestri regionum harum possessores, occupantes castella, et extendite manus vestras in ea, eorum fraena capessentes.*

Sic quidem, si puncta אַמָּה sequamur. Est tamen quod in phrasi adhuc displicet. Fraenum cur brachio, et vero ejus inferiori parti, cubito, tribuitur? Incondita etiam compositio, *fraenum cubiti e manu ejus*, cujus cubitus est, *accipere*. Mallem ergo אֻמָּה legere, *fraenum totius populi a Philistaeis accepit*, i. e. totum Philistaeorum populum in deditionem accepit. Sic pro אַמָּה aliud habebimus nomen, lexicographis omissum,

אֻמָּה *populus*,

idem quod alias אֹם, quo a feminino pluralis אֻמּוֹת formatur. Favet, quod reliquae Orientis linguae in singulari quoque femininam formam habent, Arabes, أُمَّة *gens*, Syri ܐܘܡܬܐ, Chald. אֻמָּא. Caeterum אם *populus*, neutiquam cum אֵם, origine idem, sed populus *mater* tanquam singulorum dicebatur.

אַמָּה *cubitus, in mensurae significatione.*

De mensuris Hebraeorum peculiari libello agam, Goettingensi diario, cui titulus, *Goettingisches Magazin*, inserendo, copiosius ibi rationes redditurus, cur Judaeis Thalmudicisque, post tot exsilia, Chaldaeorumque, Persarum, Graecorum et Romanorum dominationes, ipsis in exsilio viventibus, quos equidem hic omnino desero, in rebus tantae antiquitatis fidem habendam non putem, ac ne quidem eas, quae Josephi tempore fuerunt mensuras Mosaicis easdem fuisse existimem. Hic modo sententiarum mearum summam pono. Ergo quod primum est, cubito Hebraico non ut alii, Judaeos sequuti, VI palmos (i. e. 24 digitos) tribuo, quo ex computo mira incredibilium rerum portenta nata, sed solos sequutus antiquos Hebraeorum libros usque ad exsilium Babylonium, rem sic instituo.

Hebraei, ut aliae gentes pleraeque, mensuras longitudinum a corpore humano, *digitis*, *palmo*, *cubito*, *statura integra*, mutuantur:

tur (*): hae tamen menſurae naturales cum fluctuent, eſt enim ut homo homine, ita cubitus cubito, major minorve, acceſſit ſenſim aliqua civilis menſura, adcuratius et mathematice cubiti magnitudinem definiens, haec autem quae fuerit Moſis tempore ſine teſte antiquo ſtatuere, audaciſſimi eſt, mutationisque et fluxus menſurarum ignari.

Caeterum cubitus Hebraeorum duplex erat, minor, majorque, de quo jam dicendum.

1) *Cubitus minor*, isque proprius ac naturalis, eſt *inferior pars brachii, a flexu brachii, usque ad manum.* Haec quidem brachii pars ad menſurandas longitudines perquam apta, quod rei, quam metiri volumus, ſtatim adplicari poteſt, anatomicis quoque proprio nomine *cubitus* vel *ulna* eſt. Habet ille, ut experientia et anatomici docent, ſatis certam ad menſuram totius corporis proportionem: eſt enim ſexta pars totius ſtaturae hominis, quam nos, Graecorum et Latinorum more, minus bene *pedem* vocamus, pedis enim nulla certa ad reliquum corpus proportio, ſoletque ſexta parte ſtaturae plerumque multo minor eſſe. De hoc ergo cubito legens, noli noſtrum cubitum, ſed pedem cogitare.

Hic quidem cubitus minor, quod ſuum quemque corpus docere poteſt, habet, habebatque apud Hebraeos, *quatuor palmos*, i. e. *ſedecim digitos*.

De hoc cubito ſine dubio ſermo Deut. III, 10. ubi thorus *feralis Ogi* dicitur *longitudinem habuiſſe novem cubitorum*, כאמת איש *ſecundum cubitum viri.* Non jam res incredibilis, nec ſtupuiſſet aut contradixiſſet quisquam, *novem pedum longitudine* fuiſſe audiens. Majus ſine dubio feretrum homine. Ipſe Goettingae vidi gigantem, *Bernardum Gilli* nomine, qui juſſu ſenatus Goettingenſis menſu-

(*) Deut. III, 11.

mensuratus, *quatuor cubitorum Goettingensium et sex digitorum* statura repertus est: hunc novem pedum feretrum non dedecuisset. (Caeterum jam damno, quae magis tunc aliorum et Cocceji sequax, contraque usum linguarum cubitum de superiore brachii parte, certam ad reliquum corpus proportionem non habente, accipiens, in notis germanicis ad hunc locum scripsi).

De eodem cubito accipio 1 Sam. XVII, 4. ubi Goliath fuisse dicitur, idque nulla in numero שׁשׁ varietate lectionis, שׁשׁ אמות וזרת *sex cubitorum et spithamae unius.* Nil jam incredibile, fueritque Goliathus ea circiter statura, qua noster *Gilli.* Novo vero et inexspectato argumento sententiam quam dixi confirmat hic locus, novitatisque ei maculam abstergit: praeivit eam mihi non intellectus olim (*) Josephus, cumque nulla sit nec in Hebraïcis nec Graecis varietas lectionis, Ant. VI, 9, 1. ἦν γὰρ, inquit, *πηχῶν τεσσάρων καὶ σπιθάμης,* QUATUOR *erat cubitorum et spithamae,* אמה ubi non de mensuris Israeliticis sed exterorum sermo, pedes intelligens.

2) Major cubitus, seu ut alio nomine dicam, Mosaicus ac sacer, minori palmum addebat. Ezech. XL, 5. XLIII, 13. Erat ergo *quinque palmorum* i. e. *viginti digitorum.*

Quae alii de cubitis non VI modo, sed et VII atque adeo X palmorum habent, nulla codicis Hebraïci nituntur auctoritate, sed commenta sunt Judaeorum.

אמל *siccus fuit, speravit.*

Non nisi semel occurrit Ezech. XVI, 30. מָה אֲמֻלָה לִבָּתֵךְ ubi tamen veterum forte nullus ad radicem אמל retulit. Egregie quidem illa hic locum tueri potest ex Arabico, أَمَلَ *speravit,* hoc sensu, *quo desiderio excruciante speras exspectasque amasios tuos!* Primam verbi notionem,

(*) In bibliotheca Or. T. V. p. 250.

tionem, *ſiccitatem* eſſe putem, أَمِيل enim *mons arenoſus* eſt, a ſiccitate ſpes avida cum deſiderio conjuncta dici potuit.

Veteres tamen, ut dixi, in omnia alia abeunt. Chald. *quam obfirmatum eſt cor tuum*, neſcio unde. Reliqui ad aliam radicem referentes pro prima perſona futuri habuerunt, LXX. τί διαθῶ θυγατέρα σου, forte ſic efferentes מָה אֲמַלֵּה לְבָתֵּךְ, Syrus, *quomodo judicabo filiam tuam?* graecus aliquis, (forte Origenes ipſe) in Tetraplis, τίνι καθαρῶ, indeque Vulgata, *in quo mundabo cor tuum.* Quod recentiores habent, *languidus fuit*, mere eſt conjecturale.

אֻמְלַל *exuſtus, aridus fuit.*

Quadriliterum, compoſitum, ut videtur, ex praecedente אמל, quatenus ſiccitatis notionem habet, et מלל, *urere*, de quo infra. *Aridum, ſiccum, ſole exuſtum* ſignificat, plerumque de regionibus poſitum, ut Jeſ. XVI, 8. XXIV, 4. (ubi cum נבל *marceſcere* componitur) XXXIII, 9. Nahum I, 4. itemque de vegetabilibus, Jeſ. XXIV, 7. Joel. I, 10. 12. Figurate ad homines transfertur, ſumma triſtitia uſtos et marceſcentes, (Pſ. VI, 3.) quin et ad portas lugentes Jerem. XIV, 2. Thren. II, 8. denique ad matres foecundas ſobole orbatas, 1 Sam. II, 5. Jerem. XV, 9. arboribus comparatas, quarum fructus aeſtu marceſcunt ac decidunt.

Recentiores cum nomen, tum verbum *langueſcere*, et, *languidus*, vertere ſolent: quod ipſum quam ſit pleriſque locis ineptum et languidum, ea evolvens ſenties.

הֶאֱמִין *credidit: Permiſit?*

De ſolo etymo conjecturam, non ſententiam promo. Certum eſt ex Jeſ. XXX, 21. האמין et denominativum eſſe poſſe a יָמִין *dextra*, quid ſi idem et hic uſu veniat, et האמין, maxime cum ב conſtructum,

N ſit,

ſit, *dextram alicui porrigere*, ut ſit, cum promiſſis ejus credimus, eaque accipimus. Sic proprie foret, *credere promiſſis*, dein latius et univerſim, *credere*.

Jud. XI, 20. paulo difficilioris eſt conſtructionis et ſententiae, ולא האמין סיחון את ישראל, *non credidit Sichon Israelem tranſire per terram ſuam.* Non ignoro, quomodo interpretentur, *non credidit Israeli, non tutum putabat, tranſitum ei concedere:* ita tamen dicendum fuiſſet, לישראל. Hieronymus liberius: *Israelis verba deſpiciens.* Quid ſi et hic ſit denominativum a ימין, *dextram non junxit cum Israele*, i. e. non conſenſit, non foedere facto permiſit Israeli, tranſire per terram ſuam? ſed haec ut conjecturalia pono, ipſe adhuc diffidens.

אָמָּן *artifex* Cant. VII, 2.

Paulo fidentius hoc nomen ad ימין refero, artifice a dextera dicto, qua artificia perficit. Syris eſt ܐܘܡܢ quo nomine et hic Syrus uſus, ܥܒܕ ܐܝܕܝ ܐܘܡܢܐ

אָמוֹן *artifex.*

Eodem referendum putem ἅπαξ λεγόμενον אָמוֹן Prov. VIII, 30. ut *artifex* totius mundi omniumque operum Dei dicatur ſapientia. Praeiverunt ſententiam LXX, ἁρμόζουσα, Syrus ܡܬܩܢܢܐ, Vulg. *componens.* — — Quod recentiorum plerique habent, *filiolus brachio patris geſtatus*, vix digna videtur imago ea ſapientia, quae orbem condidit.

אָמְנָה Geneſ. XX, 12.

Vertunt, *profecto*, voluntque, idem eſſe quod אָמְנָם. Equidem in bibliotheca Or. T. IX. p. 188. ſuſpicatus ſum, male poſita puncta, ad variam lectionem אמנם, quam Samaritani habent, referenda: quae ipſa lectio poſtea et in codice Hebraico 99, inſigniore illo

et

et synagogae olim Hierosolymitanae, reperta est. Literas אמנה efferendas censeo, אָמְנָה *sed et veritas est*, atque male compositum אָמְנָה ex lexicis delendum.

אֱמוּנָה *securitas*. Jes. XXXIII, 6.

Consveta *fidei* significatio vix apta videtur Jes. XXXIII, 6. unde novum quid tentantes LXX θησαυροὺς verterunt, ut Ps. XXXVII, 3. πλοῦτον. Secutus illos sum in versione Jesaiae, dicique pro hac significatione posset, divitias Hebraeis *concreditum Dei* videri, indeque et *Mammon* pro מאמון dici, quod tamen nomen ad radicem מון refero.

Hoc ergo cum mihi certe argumentum pereat, malim jam אמונה *securitatem* vertere, ex usu Arabum, quibus أَمْنٌ, أَمَانٌ, أَمَانَةٌ est *securitas*, أَمَّنَ in quarta *securum reddidit*, *protexit*, أَمِينٌ *securus*. Eximia sententia, *fortitudo*, *victoriae*, *et sapientia*, *securitas erunt temporum tuorum*.

אֲמָנָה *foedus*.

Sic sine dubio occurrit Neh. IX, 33. atque a Vulgata et recentioribus *foedus* vertitur. Eandem significationem habet Arabicum أَمَانٌ et أَمَانَةٌ. Forte et c. XI, 23. non male *foedus* verteris, i. e. *promissum a rege salarium*.

אֲמֻצִּים Zach. VI, 3. 7.

Versum tertium legenti, *inque curru quarto erant* סוסים ברדים אמצים, redundare alterutrum ex duobus nominibus videri possit, Syrusque, ut nunc legitur אמצים omisit. Suspicemurne, alterum alterius scholion esse?

Copiose de אמץ egit, quem plerique sequuntur, Bochartus P. I. hieroz. l. II. c. 7. p. 111. seqq. ita tamen, ut malim significationem vocabuli ignorare, quam talibus indiciis sumere; vix enim quidquam

habet praeter alliterationes et etymologias, gratis sumens, חמוץ esse *rufum*, et inde אמוץ permutatione literarum ortum, contendens. His artibus efficit, esse equos summi ruboris, (spadiceos) eidemque currui spadiceos et versicolores junctos fuisse, ut in Eumeli curru.

Veteres si audias, Vulgata *fortes* habet, (veri dissimiliter, cum reliqua nomina colorum sint) Syrus in versu septimo ܣܘܡܩܐ *rubentes*, quod forte in quibusdam exemplis etiam in tertio versu lectum est, ubi Arabs شُقْر *valde rubentes* habet. Hi ergo Bochartianam sententiam praeiverunt, sed unum et grave dubium manet, quod nulli Orientalium linguarum אמץ *rubedinem* significat. LXX ψαρους vertunt, quod teste Svida, et *varii coloris*, nigri cum albo mixti, esse potest, qualis est sturni, et *velox*, a ψαιρω, *festino*. Utrumque ex Hebraica voce effici possit, si sumas, M pro B more Arabum positum esse: ابص enim est, *alacer fuit*, indeque أبصّ *velox equus*, أبضّ *ligavit*, a ligando autem equi varii, periscelides tanquam habentes, dici solent Arabibus. Vide quae infra sub עָקֹד dabimus.

Fatendum, nihil certi nos habere: forte est nomen exterum, Persicum aut alius gentis, idem quod ברדים significans.

אמר in Hiphil et Hithpael.

האמיר *dicere fecit, ad dicendum adegit*, Deut. XXVI, 17. 18. manifeste de stipulatione ponitur, qua, ut in illo maneam exemplo, Deus Israelitas interrogat, *mene Deum tuum agnoscis? erone Deus tuus?* Israelitis responsuris, *es erisque Deus meus!* contra Israelitae interrogant, *nosne populum tuum legis?* respondet Deus, *lego! eritis populus meus.* Similem usum أمر in sexta conjugatione Arabum habet, *idem cum altero dicere, consentire, mutuo promittere*, e. g. fab. Loem. 36.

In

In Hithpael התאמר Pſ. XCIV, 4. vix ſimpliciter eſſe poteſt, ut LXX. Vulg. et Syrus verterunt, *loqui*, ſed emphatice et grandiuscule ponitur. Eſtne denominativum ab أَمِير *dominus? dominos ſe gerunt vel dicunt?* Nondum liquet; certiora ex linguis Orientalibus adferri cuperem.

אָמִיר Jeſ. XVII, 6. 9.

Ramum interpretari ſolent, Clericus tam audacter, ut putet, *rem ipſam oſtendere, ramum intelligi.* Id mihi quidem non tam manifeſtum, quid enim, ſi ſit potius *ſummum culmen arboris?* Nec veteres ita concordes fuerunt, *ramum* vertunt Chald. et Vulgata, LXX *ſummum arboris culmen*, (ἐπ' ἄκρου μετεώρου) Syrus ܟܘܢܐ quod, quid in arbore ſignificet, ex uſu aliorum exemplorum docere nequeo, ipſum tamen ſtemma, arborisque ſine ramis corpus, eſſe puto.

Praeter haec duo Jeſaiae loca, quorum unius v. 9. lectio dubia, (vide biblioth. Or. T. V. p. 275. T. XIV. Supplem. p. 21-23.) forte et occurrit, ſed defective ſcriptum Geneſ. XLIX, 21. Terebintho comparatur Naphtali, jam expeditior et concinnior ſententia, ſi mutatis punctis efferas, הנותן אֲמִרֵי שפר *pulcra dans cacumina*, vel, *pulcros ramos*. LXX ibi אמרי γέννημα verterunt, *dans in proventu pulcritudinem*.

Deſtituunt nos in hoc nomine reliquae linguae Orientales, ne etymologiam quidem ſuppeditantes: orta mihi inde ſuſpicio, pro Reſch ſcribendum Daleth eſſe, אמיד, ab أَمَدٌ *extremum*, ſed codex nullus conjecturam firmavit.

אמרי *Amoraeus*.

Vide Spicilegium T. II. p. 19. 20.

אֶמֶשׁ

Distinguenda in hoc vocabulo duplex significatio

1) satis nota lexicographis et interpretibus, *heri*, et vero *nocte praeterita*, Ar. أمس. Hujus non nisi etymon addo. Pro adverbiis temporis adhibent non raro orientales verba temporis, וישכם *matutinus fuit et hoc vel illud fecit*, i. e. *mane id fecit*. Jam مسا pro مسو *vespertinus fuit*, *vesperi aliquid fecit*, indeque مساء *vespertinum tempus*. Hebraice verbum efferres משׁה, in futuro אֶמְשֶׁה, apocopato אֶמֶשׁ, *cum noctem agerem*, i. e. vesperi.

2) אמשׁ Job. XXX, 3. quod, *agrum*, significare primus vidit ad hunc locum Heathius, a collato Syriaco ܐܡܫܐ, ager. Hoc tamen ut verisimile pono, non ut certum, Syriaca enim significatio unius nititur Schindleri auctoritate, nullo hucusque exemplo confirmata, et linguae Arabicae ignota, nec veterum quisquam interpretum praeivit. Reliqui *heri*, Vulgata, *squalorem*, vertit, in solo, quem maxime cuperes sententiam dicere, Syro, hiatus est.

אָנָה Piel אִנָּה cum derivatis.

אִנָּה *occurrere fecit*, e. g. Deus aliquem ferro excusso securis, notum omnibus. Arabice habemus sub أَنَى *advenit tempus idoneum*, *tempestivus fuit*, atque inde إِنًى *tempus*. Hinc אִנָּה proprie est, cum facit Deus, ut eodem tempore, quo ferrum excutitur, is, quem vulnerat, eo in loco sit, ubi laedi eum a ferro oportet. Sic ad omnia transfertur, quae ex momento temporis pendent, alia futura, si alio momento evenissent. Propria ergo vis verbi non in *occursu* est, ut fere sumunt, sed in *tempestivo*. Hinc et התאנה 2 Reg. V, 7. καιρὸν i. e. *occasionem quaesivit*.

Notemus

Notemus autem ob ſequentia, verbum plerumque non de laetis, ſed triſtibus poni, ut Exod. XXI, 13. Pſ. XCI, 10. Prov. XII, 21. Hinc

תַּאֲנִיָּה et אֲנִיָּה

Jeſ. XXIX, 1. Thren. II, 5. *ſumma omnis generis infortunia, caſus adverſi unus poſt alterum inexſpectato irruentes.* Veteres quidem utroque in loco ita diverſi, et vel ſibi ipſi contrarii, ut praeter conjecturas nil habuiſſe videantur.

Symmachus et Vulgata in Jeſ. *triſtis et moerens*, Syrus ܬܢܚܬܐ ܘܐܠܝܠܬܐ *gemitus et ululatus*, exiguaque mutatione in Threnis, ܐܘܢܝܬܐ ܘܐܠܝܠܬܐ, Chaldaeus אבלותא ואנינותא *triſtitia et gemitus.* Hos fere ſequuti recentiores, ſumunt אנה eſſe *moerere*, quem tamen ſignificatum in nulla linguarum Orientalium habet. Sed de hoc deinceps.

LXX in Threnis, ταπεινούμενον καὶ τεταπεινωμένην, indeque Vulg. *humiliatum et humiliatam* diverſitate generis neſcio unde arrepta.

At iidem in Jeſaia, ἰσχὺς καὶ πλοῦτος.

Chaldaeus in Jeſaia: *deſerta et vacua.*

Ex his quem ſequaris non adparet, tutius ergo, quod ſupra feci, ex linguis reliquis Orientalibus ſignificationem colligere.

תַּאֲנָה *occaſio*,

ex ſolo loco Jud. XIV, 4. citari ſolet. LXX. tamen interpretes et Proverb. XVIII, 1. legerunt (pro תאוה) verteruntque, προφάσεις ζητεῖ, *praetextum quaerit*, plane ut verbum התאנה 4 Reg. V, 7. προφασιάζομαι. Sequitur eos Vulgata, ſed nullus codex Kennicottianus lectionem egregiam expreſſit. Caeterum mallem haec literis puncta ſubjicere, תַּאֲנָה.

תְּאֻנִים *summus ignis gradus.*

Semel occurrit, Ezech. XXIV, 12. aliis forte vocalibus animandum. De cupro cum sermo sit, cui rubigo igne excoquitur, summus ignis gradus intelligi videtur, quo cuprum candescit. Arabibus idem, quod jam antea attulimus, أنّى primo est καιρὸς, deinde et *summum gradum rei* indicat, ipsumque verbum أنى *summo ardore ferbuit.* Verto: *aestuantissimum ignem defatigavit, nec ille sufficit pellendae rubigini.* Rem ipsam si intelligere cupias, vide notas ad versionem germanicam.

אָנָה *moeruit, ejulavit*, fictitium verbum.

אָנוּ Jes. III, 25. XIX, 8. is qui puncta adjecit ad radicem אנה, retulit, eumque sequuti recentiores ac lexicographi, verbo אנה *moerendi* aut *ejulandi* significationem tribuerunt, quam reliquae linguae Orientales protinus ignorant. Non nego, ואנו utrobique de moerore et gemitu poni, sed aliis punctis וְאָנוּ instruendum erat, et ad radicem אנן referendum, quam vide.

אנך *plumbum et stannum.*

Quater occurrit Amos VII, 7. 8. de plumbo perpendiculi. أَنُكٌ Arabibus et plumbum et stannum est, quod et Latini *plumbum album* vocant, utrumque metallum, reliquis mollius fusiliusque, nomine complectente. Syris quoque ܐܢܟܐ *stannum*, (forte et plumbum, sed hujus significationis exempla non habeo). Nomen unde ductum utrique metallo sit, pro certo non dixerim. Verbumne אנך significabat, *liquescere?* Tale quid spectasse Symmachus videtur, τηκόμενον vertens: sic nomen inde habuerint, quod reliquis metallis facilius fundantur.

Mire LXX, Symmachus et Syrus, lucido Amosi loco tenebras offundentes, *adamantem* verterunt: in muro adamantino stat Deus, adaman-

adamantem in manu habens. Fons erroris esse videtur, quod Chaldaei et Syri onychen, Graeco nomine in suam linguam recepto, אירְכָּא vocant: ut autem fieri in nomine extero solet, multi forte quae gemma esset ignorabant, id unum noverant, gemmam esse, Thalmudicique adeo pro כֹּבֶּךְ ponunt. Jam de gemma cogitantes LXX murum nobis adamantinum commenti sunt. De Syro, quem sua lingua meliora docere potuisset, suspicari posses, ex LXX a Jacobo hic Edesseno male correctum ad nos pervenisse, nisi ܐܘܢܟܘܣ et in Ephraemi commentariis legeretur, (pessime ibi ab editore *amussis* versum). Excutiendi tamen codices Syriaci, nec dum enim sperare desino, in aliis meliora repertum iri.

Γάνωσιν vertit Aquila, quod *stannaturam* interpretati solent, praeeunte Hieronymo. Nomine carent lexica Graecorum, Bielianum habet, sed nihil praeter Hieronymi verba adfert. Fuitne γάνος et stanni nomen, a splendendo (γανόω) dicti, ut Latinis *plumbum album?* Γανοῦν quidem Graecismo mediae aetatis ab eodem splendore est, *vitro obducere;* vide du Fresne Gloss. p 237. Verum quae *stannatura muri?* N. L.

אָבַן *gemuit.*

Verbum, Arabibus non solum, sed et Chaldaeis cum derivatis frequens, أَنَّ *gemuit*, أَنَان *gemitus*, אֲבַן *tristis fuit*, אֲבִין *tristis*, אֲבִיבָא *tristitia*, *luctus ob mortuum.* Huc jam refero אנו Jes. III, 25. XIX, 8. puncta ei אָנוּ substernens. Huc et, si lubet, הִתְאֹנֵן Num. XI, 1. Thren. III, 39. referre possis, nisi malis ad אוֹן *dolor*, quod vide p. 42.

אַפַּיִם *vultus.*

Significationem jam alii observarunt, ut Coccejus: addo loca Genes. III, 19. XLVIII, 12. (qui non recte intellectus aliis, hinc lucem

accipit. bibl. Or. T. IX. p. 208. 209.) atque, Syris ܐܦܐ pro *vultu* perquam usitatum esse. Hinc לאפי 1 Sam. XXV, 23. *ante*, ותפל לאפי דוד *procidit ante Davidem.*

אנש vel אנוש *blandus?* Jerem. XVII, 9.

Obscurior locus, in quo valde dissenserunt interpretes: lectio etiam quodammodo dubia, plerique enim אנש defective scribunt, at plene אנוש XLI codices Kennicottiani, atque jam olim Hieronymus, monet enim, ENOS et ANUS adpellari, diversa futura significatione, posse. Verisimilior eorum sententia, qui *insanabile*, et vero sensu morali, vertunt, sic plerique: at non audiandi, qui nulla linguarum Orientalium consentiente ex conjectura vertunt, Chaldaeus, תַּקִּיף *durum*, (forte ex antiphrasi, quam et alias sequi solent, est enim אנש ut Arabicum أنث *mollis fuit*) Vulgata et Hieronymus in commentario, *inscrutabile*, Venema, *conquassatum est, quis potest illud cognoscere*, i. e. ei mederi.

Liceat tamen in difficili loco conjecturam tentare, ex Arabismo mihi subnatam, cui أنث in conj. 2. et 5. est blandiri: hanc sequutus in versione germanica, verbumque de ipso Jojakimo intelligens, astuto et insidioso tyranno, verti, *profundior corde est omnibus, et blandiens, quis illum scrutabitur?*

De aliis ad radicem אנש referri solitis vide infra sub נוש.

אֲסָמִים *reconditoria.*

Vocabulum rarius, non nisi Deut. XXVIII, 8. Proverb. III, 10. occurrens, reliquis dialectis ignotum, quae ne etymon quidem suppeditant. Horrea recentiores vertunt, forte nimis anguste, nihil enim est in utroque loco, quod ad sola horrea restringat: praeiverunt tamen duo Arabes in Deuteronomio, et Vulgata in Proverbiis. Latius LXX

ταμεῖα,

ταμεῖα, Chald. et Syrus אוצרין *thesauri*, et Vulg. in Deuteronomio, *cellaria*. *Vorrathscammern* germanice diceres.

אסנפר *Osnappar* Ezr. IV, 10.

Assyriorum regem, alio nomine in reliquis libris dictum, plerique intelligunt

1) aliqui *Assaradinum*, ex v. 2. argumentum potentes, qui mihi maxime obstare videtur: quid enim veri dissimilius, quam, eundem regem, et vero ore eorundem hominum, Samaritanorum, diverso nomine vocari?

2) plerique Judaeorum Sancheribum, sed de quo non constat, eum colonias in Palaestinam duxisse.

3) Mihi in mentem venit Salmanasseris, qui primus colonias in Palaestinam deduxit.

Alii ducem Assaradini, coloniis deducendis praefectum, intelligunt: quod probarem, nisi obstaret nimis in epistola ad regem honorificum cognomen, רבא ויקירא.

נאסף אל עמיו vel אל אבותיו.

Non vertendum videtur, *collectus*, sed potius, *hospitio exceptus est* (Judic. XIX, 18.) *apud patres*, vel, *populum suum*. Frequens Orientalibus, mortem ac sepulcrum hospitio comparare; Arabibus ثوى 1) *divertit in hospitium* 2) *mortuus fuit* 3) in passivo *sepulcro illatus est*. Amra poeta p. 93. chrestomath. Ar. *quot ex fratribus meis optimis* (بَوَّأْتُهُ) *intrare meis manibus feci in sepulcrum!* ad quem versum Tebrizius: أي انزلته والمبوّاء المنزل i. e. *in hospitium deduxi*; مُبَوَّءٌ *enim est*, *hospitium*. Pentateucho frequens phrasis, in quo de Abrahamo, Ismaele, Jacobo, Aharone, et Mose ponitur: quod annoto, ne putes esse, *in eodem cum majoribus sepulcro sepeliri*.

אֲסֻפּוֹת Cohel. XII, 11.

Obscurius vocabulum, forte vertendum, *collectiones*, nempe, *sententiarum, verborumque philosophorum*, qualis collectio hic ipse liber. Sed fateor, cum de hoc vocabulo, tum de אֲסֻפִּים, nihil adhuc certi, nihil quod satisfaciat, suppetere.

אֵסַר חַדּוֹן *Assaradinus.*

Rex Assyriae, filius Sancheribi. 2 Reg. XIX, 37. Hunc qui de rebus Assyriorum diligentius doctiusque reliquis omnibus commentatus est, *Jo. Gottl. Kalinsky*, Sardanapalum esse censet, gravibus argumentis, quae hic excerpi nequeunt. Vide ejus *vaticinia Habacuci et Nachumi observationibus ex historia Diodori Siculi circa res Sardanapali illustrata*, librum insignem.

אֶסְתֵּר *Esther.*

Nomen, quod Esthera, antea Hadassa, sumsit, cum regina Persarum fieret, adeoque sine dubio Persicum. De significatione quae disputata sunt, invenies in Simonis Onomastico p. 581. et alia praeterea Judaica in Buxtorfii lexico p. 178. Fateor nos hic copia verisimilium laborare, possit enim esse, sive

1) آس تر *myrthus virens*, pro qua explicatione facit, quod antea jam *myrthi* (הדסה) nomen habuerat. Haec quidem Simonis sententia

2) sive, *stella*, quae consveta est Judaeorum interpretatio. Objectum illi, ἀστὴρ Graecum vocabulum esse, a quo Persicum reginae nomen derivari haud fas sit: sed et in promtu responsio, *Stern* nobis, Anglis, *Star*, nomen stellae esse, forte ergo et Persicum fuisse, quae lingua maxime cum Germanica conveniat.

Mihi quidem utraque etymologia conjungi posse videtur, Esthera, cum allusione ad priscum nomen, jam Persice *stella* dicta.

Qui

Qui ex Judaeis אילת השחר Pf. XXII, 1. *ftellam matutinam* interpretati funt, videntur mihi Efiheram fpectaffe, ac de ea, vel certe ejus tempore, pfalmum intellexiffe.

אע

Nullum omnino verbum aut nomen, ne proprium quidem, lingua Hebraica habet, ab his literis incipiens. Aliquid ejusmodi et in reliquis dialectis obfervabis: Chaldaei non nifi unicum ejusmodi nomen cum derivato habent, אָע lignum, fed ex עץ ortum, Samaritani nullum, Arabes pauca, fed fere peregrina et recentia.

Nec tamen in formando Aphel verborum primae rad. ע hunc literarum concurfum refugiunt Aramaei Arabesque: ergo cauffa hujus in radicibus et nominibus hiatus non eft adpellationis difficultas.

אפוד *fimulacrum auro inductum* Jud. VIII, 27.

Loco, quem dixi, plane inepta confveta fignificatio pallii facerdotalis extimi: ex auro enim ipfum fimulacrum, non pallium facerdotis factum dicitur. Ergo eodem fenfu accipio, quo fequens אפדה, de fimulacro, intus ligneo, fed quod auro inductum erat. Praeivit Arabs أَمْثَال vertens. LXX et Vulg. cum viderent, confvetae fignificationi hic locum non effe, pene ut nomen proprium retinuerunt, ἐφώδ.

אֲפֻדָּה *obductio* (aurea).

Certa mihi et indubia videtur, quam verecunde ut conjecturam dixit, Coccejus, אפדת זהב non veftem effe, fed aurum, imagini ex viliore metallo inductum, *bracteationem*, ut ille vocabat. Ita verti jubet parallelismus fuperioris membri, ubi pro noftro vocabulo צִפּוּי *obductio argentea* legitur. Praeiverant jam LXX et Vulgata. Syrus harmonice ܨܘܪܬܐ vertit, quo vocabulo lexica carent, nec expofuit Ephraemus.

אפרן *palatium.*

Ἅπαξ λεγόμενον Dan. XI, 45. sed ita facile, et Syriacae linguae perito perſpicuum, ut aeſtus et errores interpretum tantum non omnium mirari ſubeat. أَفْدَنَا Syris *palatium* (vide chreſt. Syr. p. 47.) erunt ergo אהלי אפדנו *tentoria ejus* (Antiochi) *in palatii morem ambitioſa*, qualia regum atque ducum Orientalium eſſe ſolent. Unus aliquid veri vidit Harenbergius in Danielem p. 618. *tentorium primarium* vertens, atque monens שפריר Jerem. XLIII, 10. a Chaldaeo אפדנא verti. Pleniore Syriae luce deſtituebatur. De etymo jam non quaero, cum de ſignificatione conſtet, forte enim eſt vocabulum exterum, in linguam Syriacam receptum: quod quidem ſuſpicor, cum ipſum hic Syrum interpretem erraſſe videam, atque, ac ſi eſſet a פדן *ager*, *planities*, vertere, *figet tentorium ſuum* (אהלו legit) *in planitie*.

Alii jam pro nomine proprio habuerunt, ut, Aquila, Theodotion, Porphyrius; caſtellum Ἄπαδναι prope Amidam, Hieronymus Emmauntem intelligens, et Relandus p. 571. in Perſiam nos deducens, ubi ſit aliqua أبادان: alii adpellative pro ſynonymo praecedentis אהלי, ut LXX; *equitatum* vertit Symmachus, Hieronymusque, *Apedno*, inquit, *verbum compoſitum eſt*, quod *ſi dividas*, *intelligi poteſt*, θρόνος αὐτοῦ. Thronus, aut equitatus, qua arte ex אפדן effici poſſit, ignorare me fateor. Recentiores lexicographos non excerpo.

אֹפֶל et אֲפֵלָה *caligo*, propr. *nocturna.*

Plura habent Hebraei caliginis nomina, ſed etymo et propria ſignificatione diverſa. Noſtrum eſt ab Ar. أفل, 1) *abiit*, quam ſignificationem, quod a Golio omiſſa eſt, exemplo confirmo, Dan. II, 5. ex editione Romana, أَفَلَتْ مِنِّي *abiit a me verbum*, i. e. *oblitus ſum.* 2) abiit, i. e. *occidit ſol.* Proprie ergo nocturnas tenebras ſignificat. Jam perfectius intelliges oppoſitionem Amos V, 20. אפל ולא נגה

נגה לו, *nox, cui nulla est Aurora*, Jes. LVIII, 10. אפלתך כצהרים *nox tua erit ut meridies*, et compositionem cum alio tenebrarum nomine, non languidam, Exod. X, 22. חשך אפלה *caligo plane nocturna.*

אֲפִילֹה *serotinum.*

Non nisi Exod. IX, 32. occurrit. Copiosius de eo egit Fuller, libro III. cap. 11. *miscellaneorum sacrorum*, docens, male verti a Junio et Tremellio eorumque sequacibus, *latentia adhuc sub terra*, q. d. *tenebricosa*, rectius a LXX, Syro, et Arabe Erpenii reddi, *serotina.* Addo superesse nomen et in Arabia, et apud Chaldaeos, et utrumque interpretem hic harmonice vertere, Arabem Pol. افلتان, et Chald. אפלא. Notandus tamen error Buxtorfii p. 184. qui putat, חרפי, nostro opponi solitum, (Genes. XXX, 41.) esse, quod Februario mense crescit aut nascitur, indeque efficit, אפלא *autumnale.* Atqui خريف potius *autumnus* est, ex quo sequitur, ut אפלא *vernale* significet. *Vernalia* Hebraeis serotina dicuntur, quod in anno oeconomico, ab Octobri incipiente, autumnus praecedit, ver sequitur.

Serotina, vel seriora, quo jure in Aegypto dicantur triticum et zea, ex Plinio docuit Fullerus, qui, *in Aegypto*, inquit, *hordeum sexto a satu mense, frumenta septimo metuntur*: (histor nat. XVIII, 7.) Serunt Aegyptii per Octobrem et Novembrem, ut docet Hasselquist p. 261. itinerarii germanice versi, et Forskål p. XLIII. Florae Aegypti; sic Plinium sequutus, hordei messem in Martium, tritici in Aprilem incidere diceres: at paulo aliter αὐτόπτης Forskålius eadem pagina, *hordeum cum mense Februario maturatur, triticum ad finem Martii persistit.*

מאפליה *infoecunda terra* Jerem. II, 31.

Ἅπαξ λεγόμενον, in cujus tamen sententia non valde errari potest: infoecundam enim intelligi, satis manifestum. *Desolatam* verte-

runt

runt LXX. Chald. Syrus, quo ex etymo, aut quo ſibi jure id facere viſi, non liquet.

Recentiores, puncta מַאְפֵּלְיָה ſequuti, *terram caliginis Jehovae* i. e. maxime caliginoſam intelligunt, (vide pag. 85. 86.) quam plerique, *ingratam* interpretantur, *in qua nulla ſit lux et laetitia*, — — Caſtellus, *in qua omnia ſint infoecunda ob ſolis defectum*. Taleſne illo ſub coelo terrae? Si quas valles adire ſol non poteſt, ſolent tempe eſſe.

Equidem mallem מַאֲפֵלְיָה adpellare, duplici ſe explicatione offerente,

1) *Serotina*. Sic Vulgata. Serotina terra foret, quae tardius fructus effert, ut fieri ſolet in montanis regionibus. Diſplicet tamen: multum apud nos damni in ſerioribus meſſibus, ſi pluviae eas turbent, nullum in Palaeſtina, ubi Junius, ultimus vel ſerae meſſis menſis, pluviis caret.

2) *Minores nec juſtae magnitudinis fructus efferens*. Nempe quia agni autumno geniti, nati vere, minores et debiliores, Arabes *parvas* oves, quin et alia animalia, ut, camelos, أَفِيل plur. إِفَال dicunt. Sic et עטפים *debiles* (oves) Geneſ. XXX, 42. Syrus et Chaldaeus *ſerotinas* (ܠܩܝܫܝܐ, לְקִישַׁיָּא) vertunt, itemque Arabs Erpenii, المؤخرون. Haec apud nos alia, ſed cogitemus ferventius Palaeſtinae Arabiaeque coelum, quo oves aeſtate tolerata autumno debiliores ad coitum ſunt.

תֻּפִּין vel תופין *comminutio*. Levit. VI, 14. (al. 21.)

Malim quidem illis accedere, qui ad radicem אפן referunt, quam qui ad אפה, vertuntque, *comminutionibus Minchae in fruſta*. (Vide, in notis ad verſionem germanicam, Lev. II, 6. ſcripta.) Sic ex veteribus Syrus et Arabs Polygl. Nempe אפן fuerit *comminuere*, coll. Arabico

bico أفن *diminuit*, atque ipsa rota אֹפַן a *comminuendo* dicta. Nec tamen, quid adhuc desiderem dissimulo: أفن sine dubio est, *deminuere*, sed in *comminuendi* significatione nondum reperi.

Notanda et in obscurinsculo vocabulo varietas lectionis: Samaritani habent תופני, quod תֻּפְּנֵי tanquam ex Hophal efferrem, aliqui Hebraici תופיני, id vero mihi foret תּוֹפִינֵי ex Hiphil, atque sic et defective scriptum תֹּפִינֵי efferre mallem.

אפף *circumdedit.*

Vide coll. criticum in Ps. XL, 13. pag. 407. 408. Significatum consensui antiquorum interpretum credo, reliquis linguis Orientalibus ignotum.

אָפִיק *eximia arte factum.* Job. XL, 18. (al. 13.)

Hoc nomen a sequente sejungo, atque ad radicem אפק relatum pro ἅπαξ λεγομένῳ habeo. Plerique *fistulas* interpretantur: ego mallem ex أفق *excellens fuit*, ejusque transitivo, أفق et وفق *perfecit*, eximia artificia, germanice, *Meisterstücke*.

אפיק *exitus*, *fons*, *canalis*.

Frequentius obvium, אֲפִיקֵי מַיִם reddere solent, *alveos aquarum*, alveos fluminis, *quibus aqua continetur*.

Mihi verisimile, ad rad. נפק referendum, et scribendum esse, אֲפִיקֵי *egressiones* i. e. *fontes aquae*. Praeivit ipsam derivationem Chaldaeus Job. VI, 19. כאפיקי נחלים vertens, היך מַפְּקָנַת פַּצְדֵי נחליא *ut egressiones fossarum rivi*: eodemque refero, quod 2 Sam. XXII, 15. LXX et Vulg. habent, ἀφέσεις θαλάσσης, *effusiones maris*. Haec significatio plerisque locis eximie apta.

Quaeri posse video, quae sint אפיקי ים 2 Sam. XXII, 15? *Fontes*, puto, *maris*, qui alio nomine Mosi Genes. VII, 11. מעינות תהום רבה:

hos ad radices promontoriorum erumpere, ventoque nudari fingit poeta. Huc nos deducere videtur sequentis membri parallelismus: qui nisi esset, posses et exundationes commoti maris intelligere.

Uno loco Jes. VIII, 7. aliam significationem habet, Euphrate exundante על כל אפיקין *supra omnes exitus suos.* Euphratis exitus innumeri canales et rivi esse videntur, quibus Euphrates inferior cum Tigride connexus est, atque aqua ejus, ubi intumescit, derivatur. Chaldaeus פצרין, i. e. *fossas* vel *rivos* habet.

אפקה *Afeca ad Libanum* Jos. XIII, 4.

Plures sunt urbes, *Afec*, et *Afeca*, nomen forte a fonte ibi erumpente sortitae. Jos. XIII, 4. vix alia intelligi potest, quam Afeca ad Libanum, sita inter Heliopolin et Byblum, ad quam tota nos series orationis deducit, componitur enim cum *spelunca Sidoniorum*, *terra Gibli*, i. e. *Bybliorum*, *Libano Orientali*, *et Baalgad.* Obvertit quidem Relandus, ultra fines Israelitarum nimisque ad septentrionem sitam fuisse: sed id inde, quod nimis angustos facit Israelitarum fines, multam partem Libani et vallium ad eum complexos. Vide jus Mosaicum §. 25. quamquam ipse Josuae locus sufficit errori geographorum consveto refellendo.

אפקה *Afeca trans Jordanem* 1 Reg. XX, 26.

Afeca, ad quam fusi Syri, vix potest alia esse, quam افيق vel فيق sita inter Tiberiam et Damascum, unius a Tiberia diei itinere. Vide *Schultensii indicem geographicum*, vitae Saladini subjunctum, sub *Phyk*, cui hic omnia debeo. Obverti possit ex ipso Schultensio, prope ab hac urbe montem esse, Phyk, (عقبة, ipse *montem confragosum* vertit) Syris autem destinatum fuisse, in planitie dimicare, 1 Reg. XX, 23. 25. 28. sed hoc totum perit, si pergas legere, per hunc enim montem transitus est, الى غور *ad planitiem.* Hac in plani-

planitie jam sita Afeca. Verba integra adscribo lexicographi a Schultensio citati. *Fik urbs est Syriae, Damascum inter Tiberiam, quae Afic cum Eliph dicitur. Illi est mons, ex quo descenditur in planitiem. Mons ille imminet Tiberiae et lacui.* Unius diei itinere post Tiberiam esse docuit me Abulfeda pag. 34. Syriae.

אפרים Joh. XI, 54. 2 Sam. XIII, 23. XVIII, 6.

Urbs vicina Bethelae, vicesimo ab Hierosolymis milliari, ad quam desertum incipit. Haec disci a Relando velim, et Wetstenio ad Joannem. Unum addo ex 1 Macc. XI, 34. Erat Ephrem; (Graeco interpreti Αφαίρεμα dicta, sed Syro iisdem literis ܐܦܪܝܡ) una ex tribus regionibus, (νόμοις) quas abjudicatas Samaritanis, Judaeis concesserant reges Aegypti, 1 Macc. X, 30. 38.: unde nec mirum, Christi et Josephi tempore Judaicam urbem esse. Extra fines autem tribus Judae cum sita fuerit, quaeri possit, quo praetextu Judaei eam repetierint? Proxima, ut dixi Bethelae erat, ac forte ad ejus ditionem pertinuit: hanc Judaei 2 Paral. XIII, 19. armis ceperant, atque ad exsilium usque retinuerant; (vide notas ad Ezr. II, 28.) unde benevolos nacti dominos, Ptolemaeos, eam reposcebant.

אפרסיא, nomen proprium gentis Ezr. IV, 9.

Nomen gentis, ex qua colonia deducta in agros Samaritanos erat. Judaei, eosque sequutus Junius, Persas intellexerunt, recte opponente Clerico, mirum hos alio nomine quam פרס vocari. Addo, nullo argumento constare Persas sub Assyriorum ditione fuisse.

Hillerus in onomastico p. 655. *Parasia Polybio regio, Mediae ad ortum vergens, ubi Parrhasii populi apud Strabonem.* Loca indicare neglexit, quibus judici omnino opus. Polybio, l. V. c. 44. ab oriente Mediae est desertum, τὸ μεταξὺ κείμενον τῆς Περσίδος καὶ τῆς παῤῥασίας, *Persidi et Parrhasiae interjectum:* Strabonis locum inve-

nies p. 775. al. 508. Ut taceam, nullam literae Aleph rationem reddi, veriſimile vix videtur, populum remotiſſimi Orientis ſub ditione Aſſyriorum fuiſſe, ut ex illis coloniam deducere potuerint. Ergo malim ignorare Afarſaeos, quam errare. Obſcuritas hujus et ſequentis nominis forte inde, quod Samaritani aliis nominibus gentes, regiones, urbes ſaepe vocant, quam Hebraei, ipſorum genti peculiaribus: ſed et errores librariorum tenebras forte offundunt. ארפפרסיא vel contracte ארפרסיא ſi legere liceret, *limitaneos Perſarum* interpretarer. Vide infra ארפכשר. Sed nihil ejusmodi habent codices.

אפרסכיא Ezr. V, 6.

Hoc nomen populi Ezr. V, 6. loco omnium eorum legitur, quae c. IV, 9. habemus: praetereaque c. IV, 9. in codice 153. pro אפרסיא. De *Satis* Scythiae populo cogitarunt: ſed vix veriſimile, eo usque Aſſyriorum imperium pertinuiſſe. Tutius ignorantiam profitebimur.

אפרסתכיא Ezr. IV, 9.

Et hoc nomen gentis Aſſyriis ſubjectae, ex qua colonias in Samariam deduxerunt: ſed cujus? *Paraetacenos* non pauci intellexerunt, gentem Perſidi propriae vicinam, de qua vide Cellarium T. II. p. 808. Sed obſtat ס, Paraetaceni enim פראתכיא ſcribi debuiſſent. Opitulatur tamen conjecturae codex Kennicotti quartus, qui ſine ס, (transpoſitis quoque primis literis,) ארפתכיא habet.

Primae tres literae ſi abeſſent, cui non *Sittacene* in mentem veniret, ipſius pars Aſſyriae auſtralis? quis non mutatis vocalibus סִתַּכָיֵא efferret? Verum his literis quid faciemus? Si eas codicis 4 auctoritate transponere lubeat, ארפסתכיא recte vertes, *ex finibus Sittacenorum*, أُرْف enim, *terminus*, *fines*. Vide ארפכשר. — — Eſt et, Golio teſte, aliquod Babyloniae oppidum, أُفُسّ, cujus ſitum ignoro: hocne olim ad Sittacenen pertinuit?

אבת

אפת unde מופת *res mira*, *portentum.*

מופת, alii ad יפת, equidem non dubitans ad افت refero, quod Arabum lexicographi عجيب *rem miram*, quin et *portentum* interpretantur. Aleph post literam praeformativam in Vau mutatum, ut in מוסרות *vincula*, ab אסר.

אָצַל *firmavit*, *sepofuit*.

Duae in hoc verbo diversissimae radices et significationes concurrunt:

1) nota lexicographis, *sepofuit.* Haec solis Hebraeis usitata, Judaeisque Chaldaice scribentibus, qui eam sine dubio ex Hebraismo in Chaldaismum transtulisse putandi sunt, cum lingua Syriaca verbum ܐܨܠ omnino non habeat. Hac quidem significatione denominativum est ab אֵצֶל *juxta*, quod mutatione primae radicalis ex יצל, Arabice, وصل *junxit*, ortum videtur.

2) Arabica, quae vere est prim. rad. Aleph, اصل *firmavit*, unde أَصْل *radicem*, &c. dicunt. Ad hanc referendum videtur,

אֲצִיל *nobilis stirpe*, Exod. XXIV, 11.

Nempe أَصْل *radix* est, indeque et *stirps*, *stirpis antiquae nobilitas*, adjectivumque أَصِيل *nobilis*, أَصْل مُوَصَّل *nobilitas et existimatio firma et immota*, (proprie, radix firmata). Sic exacte praeivit Arabs Erpenii, أَشْرَاف *nobiles*, inque rei summa conveniunt, Chald. רברבי *magnates*, Syrus ܩܫܝܫܐ *seniores*, Arabs Pol. نُقَبَاء *principes*.

אצילי ארץ *horizon*.

أَصْل etiam *imum* rei significat, unde lucem accipit phrasis Jes. XLI, 9. אצילי הארץ *ima terrae*, quem nos horizontem dicimus.

 Ipsius

Ipſius quidem nominis uſum pro horizonte in lingua Arabica non inveni: tempus veſpertinum, quo horizonti imminet ſol, أصيل vocant, ſed forte ab ipſo ſole inclinato.

In rei ergo ſumma convenit mihi cum recentioribus, qui, praeeunte Vulgata, *longinqua terrae* intelligunt, non in etymo.

Quid ſpectantes LXX et Syrus (forte ex his a Jacobo Edeſſeno male correctus) *ſpeculas terrae* (σκοπιάς, ܕܘܩܐ) verterint, nondum aſſequor.

אַצִּיל plur. אַצִּילִים אַצִּילוֹת, *junctura manus cum digitis, incurvatio manus interior.*

Ter occurrit Jerem. XXXVIII, 12. Ezech. XIII, 18. XLI, 8. in prioribus duobus locis conſtructum cum ſequente יָדַיִם, in tertio, ſine hoc nomine. Etymon et interpretatio nominis duplex eſſe poſſit, ſive

1) *radix manus*, quo nomine, forte ab Arabum medicis tralatitio, anatomici, *juncturam manus cum brachio* intelligunt, ſeu, ut magis proprie loquar, *octo oſſicula brachium manui jungentia.*

2) *junctura manus*, a وصل *conjunxit:* cui favet Syriasmus, nomen per Jod ſcribens, ܐܨܝܠܝ ܐܝܕܝܐ Ezech. XIII, 18. Sic et ex veteribus, Chaldaeus, Jerem. 38. אַרְבְּכֵי et LXX. Ezech. XIII, 18. ἀγκὼν χειρὸς i. e. *flexus manus*, (non, ut obſcure alii reddiderunt, cubitus manus).

Poſterius ſi ſumas, junctura manus eſſe poſſit, ſive ea, quam dixi, radix manus, qua brachio, ſive junctura, qua digitis adhaeret, ex quo pendet ancipitis loci Ezech. XLI, 8. interpretatio. Radicem enim manus ſi intelligas, אמה אצילה *cubitus usque ad radicem*, erit, minor cubitus quatuor palmorum: ſi manus cum digitis juncturam, *cubitus usque ad phalanges digitorum*, vel, *interiorem manus curvaturam*, majorem

jorem quinque palmorum cubitum habebis, quem alias אמה וטפח Ezechiel dicere solet. (Vide quae scripsimus sub אמה). Mihi quidem *junctura manus cum digitis* praeferenda videtur, maxime ob locum Jerem. 38. ubi veteramenta juncturae manus subjiciuntur: haec funem prehensurus, quis radici manus supposuerit? supponenda potius sunt curvaturae interiori manus, et prehendenda, ne funis attritu manus laedatur. Addo, verisimile non esse, aliam c. XLI, 8. in muro templi, quam deinde in reliquis partibus templi, mensuram praescribi, communem, non sacram: ergo potius אמה אצילה et אמה וטפח synonyma sunto.

Axillas plerumque vertunt recentiores, nec nego, et eas sive radices sive juncturas brachii dici potuisse, ut Arabibus in avibus juncturae alarum cum corpore اصول الاجنحة dicuntur, Ps. LXVIII, 14. (in versione Arabica quam ex Vaticano exemplo descriptam possideo): sed omnibus locis axilla inepta, Jerem. XXXVIII, 12. et Ezech. XIII, 18. ob sequens ידים, (quod enim Venema jubet, ידים *brachia* vertere, contra usum fit linguae) Ezech. XLI, 8. quod superior pars brachii ad axillas nunquam mensura fuit, nec esse potest, nullam enim, ut anatomici me monuerunt, facilem ac ne quidem certam proportionem ad corpus humanum habet, ut mensurae reliquae, nec, ut inferior pars brachii, rei mensurandae adplicari potest. Hoc ergo magno errore, qui et mensuras Hebraeorum turbavit, lexica liberanda.

אַקּוֹ Deut. XIV, 5. *ibex?*

De hoc animali adhuc dubito, donec certiora adfulgeant. Copiose de illo Bochartus P. I. l. III. c. 19. sed ita ut sententiam nemini dubitare adsveto persvasurus sit. Nullo veterum praeeunte, sola conjectura duce, *capram* facit *Mambrinam*. Hancne Moses a reliquis capris distinxerit? cum in legibus ferendis oves brevipedes, caudam adipo-

adiposam habentes, communi ovium nomine complectatur? Pro lubitu mutatis literis cum عناق capra confert; quod quidem aliquam veri speciem habere possit, cum in Samaritano textu Polyglottorum עקו legatur; sed et haec veri species perit Kennicotti bibliis consultis, qui pro עקו, jam manifesto sphalmate, non nisi unicum codicem Sam. citat, reliquis אקו habentibus.

Ibicem (*Steinbock*, *Etainbouc*) magno plerique veterum consensu intellexerunt, tres Chaldaei, duo Arabes, (وعل) Syrus, ac plerique Judaeorum. Hos in versione germanica, cum contradicere audax, sequutus sum, sed dubitans: ibex enim cum sine dubio sit יעלה, nec libris modo serioribus, sed et Jobo c. XXXIX, 4. mirum, alio hic nomine a Mose vocari. Veterum auctoritati opponi possit, iis ipsis in terris, quae ibicem habent, rarissime visum animal vel ab indigenis cum capro fero confundi, ut, in Helvetia atque adeo ab ipso Scheuchzero. Vide infra sub יעלה. Idem ergo et interpretibus, quos dixi, antiquis, accidere potuerit: nec defuerunt, qui capram feram interpretarentur, quarum maxime in Africa ad Austrum Aegypti copia.

Conjecturas ex lingua Tatarica Turcicaque ductas malim a Scheuchzero peti, quam hic legi: talia si conquirere luberet, etiam ex Guinensi lingua *Ecu, bubalum*, interpretari possis.

Confer et quae scripsimus in quaestionibus Arabiam adituris propositis n. 81. p. 223-226.

Fateamur ingenue ignorantiam, ut et, qui vocabulum omiserunt, LXX et Hieronymus, falli videntur.

אֲרִאֵל

Sic a singulari concipiendum, si puncta sequaris, אֶרְאֶלָּם Jes. XXXIII, 6. cujus nullam derivationem video, nisi a رَأَلَ *festinanter incedere*, ut sint, *legati, nuntii*, ab eundo dicti. Hancne spectarunt, an

an mera Cabbalistica, Rabbini; qui testibus Hieronymo et Kimchio ad h. l. angelos intelligebant. Displicet tamen vel hoc ipsum etymon, verbum enim est denominativum a رَأْل *pullus struthionis*, *festinanter more pulli struthionis incedere*. Plerique recentiorum ad sequens

אֲרִאֵל

retulerunt, quod et ego facio, sed mutatis, quae vitiosa videntur, punctis אֶרְאֶלָּם, sive adeo, ut plene quatuor codices Kenn. habent, אֶרְאֶלִּים Vide bibl. Or. T. XIV. Adp. p. 120. *Leones Dei*, i. e. *viros fortissimos* interpretantur, quae significatio si aliis in locis teneri potest, huic tamen vix apta videtur. Qui enim hic *leones Dei*? legati regis Hiskiae? hos vero humiles ac supplices quis leones dei dixerit? Rabsace? at hostem thrasonem quis tam honorifico vocaverit nomine?

Ergo suspicari coepi, אר אל hic *ardeam stellarem* esse, quam ab Arabibus *Ariel* vocari, auctor est *Forskål* p. 8. *descriptionis animalium:* ardeam stellarem, timidam avem, (venatores fugiens capite se et quanta parte corporis potest submergit, exstantem ex palude podicem illis impetendum relinquens) sed terribilia clamantem, pro *thrasone* poni, quales legati erant Assyrii. Haec *thrasonis* significatio et alteri loco apta in quo אֲרִאֵל occurrit; duos thrasones Moabiticos percusserit heros: 1 Sam. XXIII, 20. 1 Paral. XI, 22. jamque omnino opus non habebimus ea, quae in lexicis regnat, *leonis dei*, significatione, in qua plura mihi suspecta, ut,

1) quod in duobus locis sine Jod אראל scribitur, quo demto nulla caussa est, illud ad ארי referendi, Jes. 33. nulla lectionis varietate, et 1 Sam. XXIII. ex plurimorum codicum consensu, triginta tamen circiter Jod habentibus.

2) quod Hebraei in adpellativis composita non amant.

3) quod *leones dei* in plurali dici debuissent אריי vel אריות אל.

אֲרִיאֵל *focus altaris.*

Vera si puncta sint, referrem ad הראל *mons Dei*, quod ejus loco in variis lectionibus comparet, Ezech. XLIII, 15. mutato He in Aleph: displicent enim, quae alii habent etyma, *leo Dei*, victimas devorans, et Hillerianum, *praesepe Dei*, auditu indignum. Sed suspicor, potius אֲרִיאֵל adpellandum esse, *lux*, i. e. aeternus ignis *Dei*. Confer Jes. XXXIII, 9. Ex Hieronymi commentario in Jes. XXIX, 1. disco, ejus jam tempore aliquos de luce cogitasse. *Scio*, inquit, *me legisse, Ariel interpretari, lux mea Dei, quod longe aliter est. Hic enim prima syllaba per Aleph et Res scribitur, lux autem, quae Hebraeis OR est, inter Aleph et Res mediam habet literam Vau.* Objectioni ejus reponerem, posse et literam Vau omitti, maxime in composito, nomen proprium simulante: solent enim nomina propria rerum notissimarum, ut ירושלם, defective scribi.

אֶרֶב *specus, autrum subterraneum.* Job. XXXVII, 8.

Lustra ferarum in silvis sub densis arboribus vix apta illi, quem citavi loco, videntur: silvae enim inter fulmina magis etiam intuta, quam ager sub dio, decepissetque feras natura, si illis instinctum dedisset, in silvas confugiendi. De cervis quidem venatores mihi narrarunt, eos ingruente tempestate silvas deserere, extraque illas in tutiore campo pavidos consistere. Suspicor ergo, antra subterranea intelligenda, in quibus tutius latebunt. Arabibus quidem وِرْب non lustrum modo ferae est, sed et *os latibuli muris* &c. lateque regnat per alia ab ארב derivata *foraminis* notio.

Nihil tamen certi pronuntio, sed dubitans scribo: possit enim alia ratio esse ferarum rapacium, leonum, tigridum, quam nostrarum; quin et possis versum intelligere de eo, quod finita tempestate faciunt, redeuntes in lustra ex quibus aufugerant.

ארבות *foramina, cataractae.*

ארבות, proprie, *foramina*, ponitur 1) de fenestris columbarum, Jes. LX, 8. 2) de fumario, Hos. XIII, 3. 3) de fenestris ex quibus prospicitur, Cohel. XII, 3 4) in phrasi ארבות השמים ex quibus imbres et diluvia effunduntur, Genes. VII, 11. VIII, 2. Jes. XXIV, 18. Malach. III, 10. et figurate 2 Reg. VII, 19. Hic quidem si *fenestras* latine verteris, non damno, at *fenetres*, *Fenster*, magnopere displicet: coelo imbres effundenti, quis sanus fenestras ex quibus prospicitur tribuat. Quin ipsum latinum *fenestra*, fraudi fuit Hieronymo ad Jes. XXIV, 18. ubi vult, *Deum ex apertis coeli fenestris prospicere*, quam imaginem pictor, nisi qui se ridendum praebere velit, imitari non ausit.

Hic ergo mihi *cataractae* potius coeli sunt, quibus thesauri coelestes aquae in terram effunduntur. Praeiverunt ex veteribus in Genesi LXX, *καταῤῥάκται*, Vulgata ibidem, Syrus, in Genesi ܡܫܦܘܟܐ et ܫܦܘܟܐ *effusoria*, inque Jesaia ܡܪ̈ܙܒܐ

ארבות, nomen proprium, 1 Reg. IV, 10.

In Juda sitam fuisse, recte sumit Relandus, p. 585. eo enim nos deducit vicinia urbis Socho: idem incertum ait, sitne regio, urbs, an vicus. Suspicionem ergo promere liceat: estne ea pars Judaeae, quae specus subterraneas magnas et plurimas habebat? Vide pag. 122.

אָרְבּוֹת Jes. XXV, 11. *insidiae.*

Displicent, quas recentiores habent, *axillae:* axillarum enim nullus in natando usus, nec illae possent ארבות ידים, *membra manuum* dici. Opem fert Coccejus, *extendi* dicens in natando *axillas cum manibus:* malles tamen *brachia cum manibus*, nec praecesserat immediate expandendi verbum, sed deprimendi aquam.

Ergo malim, mutatis punctis, עַם אֻרְבוֹת יָדָיו *populum insidiarum manuum ejus*, i. e. cui manus Dei insidiantur.

Arabibus quidem إِرْبٌ *membrum* est, ut in phrasi, قَطَّعَهُ إِرْبًا إِرْبًا *dissecuit membratim sacrificium*, Chaldaeisque, Castello teste, sed exemplum non addente, ארבות רגלים *inguina:* id vero nihil ad locum Jesaiae, quae enim illi erunt, *membra manus?* ut taceam עִם Hebraeis non de instrumento poni: *deprimet aquam manibus*, dicunt, non, *cum manibus*.

ארבאל *Arbela.*

Bis occurrit, 1) Hos. X, 14. ubi Arbela Assyriae intellexerim, hanc etiam ob caussam grammaticam, quod בית ארבאל vocantur, solent enim Aramaei suis urbium et regionum nominibus, ܒܝܬ praemittere, quod cum et hic praeponatur, Assyriae potius quam Palaestinae urbs intelligi videtur. Vide plura in praefatione ad Jesaiam, pag. XIX. XX. et biblioth. Or. T. XIX. p. 185. — — 2) Arbela Galilaeae, 1 Macc. IX. 2. Μεσσαλὼθ ἐν Ἀρβήλοις, ubi vide notas. His quidem sine dubio nomen ab ingente spelunca, latronum habitaculo, de qua vide Relandum p. 575.

ארגז *cista lateralis, secundaria.*

Vocabulum non nisi 1 Sam. VI, 8. 11. 15. lectum, sed quod, mutata modo paulisper forma, lingua Hebraica cum Aramaea et Arabica commune habet: hic quidem Syrus, ܪܓܙܐ, aut, ut legitur in Ephraemi commentariis, ܐܪܓܘܙܐ harmonice vertit.

LXX cum significationem rarioris vocabuli ignorarent, ipsum retinuerunt, ἐργὰζ, vel, βοεργὰζ scribentes, (vide Theodoretum) ex quo deinde librariorum errore alia verbi monstra orta sunt. *Capsulam* Vulgata, et תיבותא *arcam* interpretatus est Chaldaeus, hosque se-

quuti

quuti recentiores: non male certe, sed tamen nec caussa adparet, cur, cum antea arcam foederis ארון vocarit scriptor, hic alteram arcam cum ea missam, non ארון, sed rarissimo usus vocabulo, ארגז, dicat; nec etymon suppetit.

Utrumque expediet Arabia. A רגז *tremere, moveri*, Arabibus رجازة est, *vehiculi genus, pilento camelino simile, pannus in quo lapides sunt, qui pilento aut alii oneri adpenditur, ad aequilibrium servandum, sacoma*, ita dictum a perpetuo, in quo est motu. Hinc et factum ut Arabs مخلاة *saccum* verteret, alligatumque putaret: علّقوا المخلاة في جانب العجل *suspendite saccum in latere currus*. His ad cistam translatis, ארגז proprie erit, *cista secundaria jumenti lateri alligata, ad servandum cum altera cista aequilibrium*: sed nostro loco latius usurpatur, de cista, currui imposita, secundaria, arcae foederis addita.

אַרְגָּמָן *purpura*, vide sub רגם.

אַרְוָד *Aradus*.

Vide Bocharti Phaleg. libr. IV. c. 36. et Spicilegium meum p. 42-45. ubi monui, aliis vocalibus subjectis אָרוּד legendum videri, atque adeo in nummo Aradiorum defective ארד scribi. Insula est et urbs olim nobilis in Phoenicio litore, paulo post gradum latitudinis 35.

אֶרֶז *cedrus Libani, conifera.*

Cedrum Libani dico, ut distinguam a cedro baccifera, quae ex juniperi genere est. Cedri Libanicae fidissimam dedit delineationem *Jacobus Trew* in *historia cedrorum Libani*.

Magno eruditionis adparatu cedrum esse negavit Celsius, T. I. hierobotanici, p. 106-134. nec nego, Arabibus, qui cedrum non habent, multo nomen patere latius, unde et factum, ut veteres ארז va-

rie verterint, maxime cum arborem unius olim Libani indigenam exteri non nossent. Verum ejus dubiis ita satisfecit, evicitque *cedrum Libani* esse, quem modo dixi *Jacobus Trew* in *cedrorum Libani historia, earumque charactere botanico, cum illo, laricis, abietis, pinique comparata. Norimbergae* 1757. ut illo lecto neminem fore arbitrer, qui dubitet: maxime cum Salomonis historia ad veram nos cedrum deducat. Ab ipsis Libani indigenis hanc arborem أرز dici, monuit jam Trewius, Schultzio, qui Libanum adiit, teste usus: Büschingiusque in literis die 8 Junii 1766. ad me datis, *jam inveni*, inquit, *itineratorem, qui testatur, cedros ab incolis Libani ARS dici, quo novo teste confirmantur a Trewio ex Schultzii ore relata.*

Unum magna veri specie cedris locum opposuit Celsius, Ezech. XXVII, 5. cedri enim, insigni crassitie, nec stemma alte tollentes, malis navium faciendis ineptae. Sed disparebit nubecula, lectis quae infra sub תרן dicam: תרן non malus navium, sed Pharus, hanc cedro aedificatam fuisse canit Ezechiel.

ארח *mensis, menstrua purgatio.*

ארח cum derivatis, praeter notam lexicographis et propriam *viae* significationem, aliam quoque permutatione primae rad. א et י a יָרֵחַ *luna* accepit. Apud Arabes id dubio caret, quibus أرّخ est, *adscripto mensis die notavit epistolam*, indeque أَرْخَة *tempus*, maxime, *ita in literis notatum*, latius tamen Syris nomine utentibus, quibus ܐܘܪܚܐ generatim *tempus* significat. (chrestom. p. 69. ܐܘܪܚܐ ܕܬܠܬ *tertia vice*). Hinc et مؤرّخ *chronologus, historicus*, et تأريخ *chronicon.*

Jam intelliges, praetermissam adeo a lexicographorum non paucis vocem, Genes. XVIII, 11. *desierant esse Sarae* ארח כנשים *menses ut mulierum*, i. e. menstrua. Hinc et,

ארחה

ארחה *victus quotidianus.*

proprie, *pensum*, *certo tempore*, *vel adeo quovis mense solvendum.* Sic Graeci suum σιτόμετρον in menses dare solebant. Bis legitur, Jerem. XL, 5. LII, 34. *Viaticum* lexicographi verterunt, qui significatus capite quidem XL, 5. locum habere possit, non c. LII, 34.

ארכה *sanatio vulneris*, *cicatrix.*

In solo laboratur etymo, quod tamen ex rationibus medicis facillimum. Vere producitur ac longior fit ab utroque vulneris latere cutis, ubi vulnus sanatur, inque cicatricem coit, unde et fit, ut conduplicata altius exsistat. Arabibus quoque أريكة *sanatio vulneris*, verbumque أرك *coaluit vulnus:* sed hoc jam Simonis monuit.

ארך *Edessa.*

Nomen antiquum Edessae, nobilis Mesopotamiae urbis, quod usque ad tempora Graecorum solum habuit, Genes. X, 10. unde ארכויא Ezr. IV, 9. et Syris ܐܘܪܗܝܐ *Edesseni* sunt. Vide Spicilegium geogr. T. I. p. 220–225.

ארם *Aramaea*, *Syria.*

Complectitur Hebraeis, regionem Damascenam, Syriam ad Orontem, Mesopotamiam: Syris ܐܪܡܝܐ speciatim sunt Assyrii, sed hos ab Aramaeis Hebraei distinguunt, licet lingua Aramaea uterentur. Vide Spicilegium T. II. p. 117–120.

Forte et Armenia nonnunquam ארם dicta, quod vide dubitatum, atque ad Amos IX, 7. translatum, ibid. p. 120–125.

ארמון *sacrarium*, *gynaeconitis*, *sacri fines.*

ארמון et *palatium* esse et *templum*, (Jer. XXX, 18.) notum, sed praeter has significationes aliam habet, hucusque intactam, quae et ad etymon nos deducet. 1 Reg. XVI, 18. 2 Reg. XV, 25. a palatio distingui-

ſtinguitur, ut pars ejus interior, (ארמון בית המלך) videturque eſſe, *gynaeconitis regia*, in qua alter regum ſe cum ſuis cremavit, alter a conjuratis occiſus eſt. *Haram* (حَرَم) nomine Arabico dicimus, ac niſi fallor, Hebraicum nomen Arabico idem eſt, mutato ח in א, ipſi enim Arabes أَحْرَام *conclavia*, pro حُرُم dicunt. (Golius p. 78.) Ex hac ſignificatione inſigniter lucet locus, Proverb. XVIII, 19. odia fratrum implacabilia comparans *vecti gynaeconitidis*. (כבריח ארמון) Sic et accipiendum videtur Pſ. XLVIII, 14. *dividite* jam animo et mente *gynaecea ejus ad praedam*, (ambitioſiora enim palatia illo tempore Hieroſolyma nondum habuit) ac forte pluribus locis, ubi palatium verti ſolet, ut, Jeſ. XXXII, 14.

Sic et, ut dixi, ad etymon perventum. A حَرَمَ *prohibuit*, حَرُمَ *prohibitus*, *ſacer fuit*, dicitur 1) templum, Arabibus quoque حَرَم 2) gynaeconitis 3) a gynaeconitide ſuperbiore palatium.

Uni Michae, c. V, 4. nulla harum ſignificationum apta: palatia certe ſi hoſtis jam proculcat, non procul finibus ſummotus eſt, ſed victor per totam graſſatur terram. Accedit, quod pro בארמנותינו in priore verſus membro legitur, בארצנו *in terram noſtram*, inque verſu 5, בגבולנו *in finibus noſtris:* malles ergo ſane ארמנות hic *fines* eſſe. Ac poſſent quidem, collato إِرْم et إِرَم, quod *lapides in ſignum viae erectos* notat: quid ergo, ſi hic lapides limiti ſignando erectos intelligas? Sed vereor, ne nomen ſit recentius, Graecaeque originis, ab Ἑρμῆς *Mercurius*, cui tumuli lapidum in viis ſacri. Ergo malim et hoc ipſum ad حَرَمَ referre, quatenus eſt, *prohibuit*, *venerabile et ſacrum reddidit*, ut *prohibiti* ſint, *inacceſſi hoſtibus*, *ac tanquam ſacri fines*.

ארן *arbor Arabica spinosa baccifera.*

Qui ante Celsium nomen Jes. XLIV, 14. lectum interpretari ausi sunt, meris usi conjecturis jam hanc nobis arborem jam illam obtrudunt: primus Celsius P. I. p. 192. 193. Arabicum أُرَان contulit, quod teste Abulfadli nomen est, *arboris in Arabia Petraea, spinosae, bacciferae, valles ac planities amantis, rarius in montibus crescentis.* Jam et videntur puncta mutanda, אָרָן, ut nomen proprium inde ortum Genes. XXXVI, 28. scribitur. Sex quidem Kennicotti codices punctis masorethicis consentanee אורן habent, sed tam pauci mutandae lectioni literarum non sufficiunt: nomen pro licentia Judaica plene scripserunt librarii, ut adpellare a punctis edocti erant.

ארפד *Arfad.*

Noli pro *Aradi* nomine habere, ut plerique: *Arfad* regnum, quodnam sit, ubi situm, ignoro, sed melius est, ignorare aliquid, quam errare. Vide plura in Spicilegio T. II. p. 45. 46.

ארפכשד *Arfaxad*, vel potius, *Arfachasd.*

Nomen ejus filii Semi, a quo Abrahamus progenitus est, Genes. X, 22. XI, 10-13. Copiosius de eo egi in spicilegio T. II. p. 73-77. Dictorum summa: nomen videri, viro post fata ab habitatione posterorum inditum, nec אַרְפַּכְשַׁד adpellandum, sed אַרְפַּכְשָׂד aut, si malis, אַרְפֵּכְשָׂד; ductum ab ארף, Arab. أَرْف *terminus, finis*, et כשׂד, ac significare, *limitaneum Chaldaeorum.*

Nomen superesse in *Arrapachitide*, regionum Assyriae maxime boreali, censuit Bochartus: id mihi, spicilegium scribenti displicebat, sed postea placere coepit, hanc maxime ob caussam, quod Arrapachitis eorum in montium vicinia sita, in quibus Xenophon primum Chaldaeos invenit. Vide bibliothecam orient. T. XVII. p. 77. 78.

ארוט *Ararat.*

Nomen proprium,

1) regionis in Armenia, 2 Reg. XX, 37. Jes. XXXVII, 38. Jerem. LI, 27. ubi a מני, Minyade, ut regnum eo tempore separatum, suique juris distinguitur. Dubitari vix potest, quin ea sit, quam ipsi Armeni *Araratiam* vocant, (vide Mosis Choroenensis historiam Armeniae p. 289. 308. 310. 358. 361.) sita medio fere loco inter Araxem, lacusque Van et Ormiam, (ubi d'Anvilliana Asiae delineatio sub gradu long. 63. lat. 39. habet, *Ararat ou Macis*, de quo deinceps). Recte et vere ergo ad Jes. XXXVII, 38. Hieronymus: *Ararat regio in Armenia campestris est* (nempe magnam partem, qua montibus subjecta, campestris) *per quam Araxes fluit, incredibilis ubertatis.*

Veteres quidem magno consensu, קרדו interpretantur, id est ex consueta nominis acceptione, Gordyenen, in qua Gordyaei montes. Sic 2 Reg. 20. Chaldaeus, Jes. 37. Chaldaeus et Syrus, Jerem. 51. Chald. Arabs atque Ephraemus Syrus. Hi manifesti erroris rei, si Gordyenen intellexerunt; in cujus montibus putabant navigium Noachi quievisse: sed absolvi possunt, si duplex in Armenia Cardu, quam ultro offerre Ptolemaeus in Asiae tabula quinta videtur; habet enim, ubi nostra Gordyene, *Gordenen*, (sub gradu long. 76. lat. 39.) atque magis versus boream, illo fere loco ubi Araratia, *Carduchos.* (sub gr. long. 82. lat. 40.)

2) montis Armeniae, ad quem navigium Noachi adhaesit, Genes. VIII, 4. *Gordyaeos* intelligunt plerique montes, praeeuntibus, ut videtur, non interpretibus solum, Chaldaeo, (קרדו) Syro, (ܩܪܕܘ) Saadia, (قردى) Mauro, (جبال القردون) (*) sed ipso adeo Beroso,

(*) Latiore *Armeniae* nomine tres Graeci et Vulgata utuntur. Samaritanus,

Beroſo, qui, λέγεται, inquit, καὶ τοῦ πλοίου ἐν τῇ Ἀρμηνίᾳ πρὸς τῷ ὄρει τῶν Κορδιαίων μέρος τι εἶναι. (Joſephus Ant. I, 3, 6.) Ipſi accolae hunc honorem tribuunt monti *Guda* (جودي) ad cujus radices ſitum vicum قرية ثمانين *vicum octoginta* vocant, non 8 enim ſed 80 cum Noacho ſervatos volunt Muhammedani. Vide Abrahami Echellenſis ſupplementum hiſt. Or. (*) p. 144.

Verum ipſis Armenis de monte, ad quem Noachus adhaeſit, lites. Urbis Erivan incolae Chardinio montem monſtrabant, XII milliaribus Gallicis ab Oriente, cui hunc honorem tribuebant; ipſi vero mons multo altior, aeternis nivibus tectus, *Macis*, Perſis *Couh-Nouh, mons Noachi* dictus, dignior videbatur, ſequutusque eum d'Anvillius, qui, ut dixi ſub long. 63. lat. 39. *Ararat ou Macis* habet. Quae quidem et mihi ſententia probatur, hanc maxime ob cauſſam, quod in ipſa ſitus eſt Araratia regione, veriſimiliter monti cognomine: ac forte aliqui ex veteribus *Kardu* vertentibus idem ſenſerunt, non Gordyaeos montes, ſed borealiores Ptolemaei Carduchos intelligentes; ipſe forte Beroſus male intellectus et verſus Joſepho.

Quarum partium fuerit Nicolaus Damaſcenus, utinam alii aliquando expediant. Verba ejus, a Joſepho Ant. I, 3, 6. relata, ſunt, ἔστιν ὑπὲρ τὴν Μινυάδα μέγα ὄρος κατὰ τὴν Ἀρμενίαν, Βάρις λεγόμενον, *eſt ſupra Minyadem magnus Armeniae mons BARIS dictus, in quo multos ex diluvio ſervatos eſſe tradunt, atque aliquem arca vectum*

nus, fabulas Indiae admiſcens, סרנדיב habet, i. e. Ceylanam, Arabibus سرنديب dictam. Vide Caſtelli lex. p. 2621. et Bocharti geogr. p. 672.

(*) Reperies poſt chronicon Orientale Venet. 1729. quod partem Byzantinorum ſcriptorum facit.

vectum adhaesisse. Minyadis, (de qua sub מני) situm et Baris montis ipsum nomen adhuc ignoramus, nec quidquam de illis expedivit Bochartus. Lege illum libr. I. geogr. c. III. alia multa et docta daturum, in rei tamen summa ab his, quae mihi vera visa sunt, dissentientem, montesque Gordyaeos intelligentem.

ארֶשֶׁת Ps. XXI, 3.

Ἅπαξ λεγόμενον, maxime dubium, de quo necdum quidquam certi habeo. Collectis a Coccejo addo, Chaldaeum, qui פירוש *declarationem* vertit, videri posse פרשת legisse, nullo tamen Kennicottianorum codicum suffragante. Declarationem labiorum *votum* intelligerem. Δέησις LXX, et *voluntas* Vulgatae non nisi conjecturae sunt.

Tres se offerunt interpretationes etymologicae, sed quarum nulla vel mihi satis placet:

1) Syris ܐܪܫ est *malleare*, ܐܪܫܐ *malleator.* Possent *consilia* a *fabricando* dici. Sed displicet phrasis, *fabricationes labiorum*, ipsumque ܐܪܫ vereor, ne a חרש ortum sit, permutatione literarum, Syris quam Hebraeis frequentiore. Possis tamen huc trahere Syrum, qui ܛܘܒܐ *praeparationem* vertit.

2) Fuerunt, qui mallent per Sin legere, sic foret, non ut vult Coccejus, *sponsio*, sed, *donum labiorum*, i. e. donum labiis promissum: *vota mea non repudiasti.* Et huc trahi ܛܘܒܐ Syri interpretis possit, طيوب enim Dan. II, 47. *suaves odores* sunt.

3) Chaldaeis ארש Arabibusque أرث idem sunt, quod ירש, eritne ergo, *hereditas labiis meis expetita?*

Nihil horum placet, nec a quaerendo desisto.

ארַשׂ *desponsavit*, pr. *donavit.*

Desponsandi significatio expedita: solum etymon addo. أَرْشٌ *donum* est, indeque et Samaritanis, אריס *tributum*; erit ergo, *dono*

dato

dato sibi obstringere sponsam, eamque, ut Syri dicunt, emere. 2 Sam. III, 14. cum pretio construitur, quo uxor emta.

ארתחשׁשׁתא *Artaxerxes.*

Nomen, 1) *Smerdis*, Ezr. IV, 7. 2) *Xerxis* Ezr. VII, 1. 3) *Artaxerxis Longimani* Nehem. II, 1. 4) *Artaxerxis secundi*, *Mnemonis*. Vide notas germanicas ad loca citata, et Esther. I, 1. pag. 90. 91. Quid nomen adpellative significarit Persis, de eo nihil certi habeo: varias eruditorum derivationes collegit Simonis in Onomastico p. 583.

אִשׁ vel potius אֵשׁ Mich. VI, 10.

Vide bibliothecam Or. T. XX. p. 180-183. ubi et rationes reddidi, cur consvetae displiceant explicationes, quae jam pro יֵשׁ *est*, jam pro אִישׁ, *vir*, positum volunt, meamque addidi sententiam, aliter dispertiendas literas, legendumque, עָרְה אֵשׁ, *pertransit ignis aedes injustorum.*

אֶשֶׁד plur. אֲשֵׁדוֹת *effusiones.*

אשדות פסגה Deut. III, 17. &c. recte vertere solent, *effusiones Pisgae*, i. e. radices montis, ad quas largi rivi effunduntur. Sic Arabes radices montis a سفح *effudit*, dicunt, سَفْح. Abulfeda num. 246. *Dara oppidum est exiguum* في سفح جبل *ad radices montis.*

Occurrit quoque nomen אשדת Deut. XXXIII, 2. Quod enim plerique in duas voces dividunt, אֵשׁ דָּת, ut infra sub דת videbimus, vel hoc argumento damnandum, quod דת verbum barbarum est, multa post Mosen secula in linguam Aramaeam receptum. Multi codices Samaritani et Judaici אשדת habent, (quod equidem אֲשֵׁדֹת efferrem) duoque adeo Samaritani plene אשדות. *Effusiones*, i. e. *effusos imbres* in versione germanica interpretatus sum, dubius, et grati-

am habiturus, si quis meliora dederit. LXX *angelos* habent, incertum, utrum ex mera in obscuro vocabulo conjectura, an ab أَسَد *leo*, quod putarent, leones (Cherubicos) pro angelis poni.

אשה *solatus est.*

Non nisi semel in Samaritano textu occurrit, Genes. III, 13. אשיני, sine dubio ex errore librarii, ita tamen felici, ut aptam fundat sententiam: *serpens* אִשִׁינִי *solatus me est*, i. e. nihil metuere mali jussit, coll. أسي *solari.*

אשכנז *Aschenaz.*

Non Germani, non Phryges, sed gens borealis haud procul ab Araratia Armeniae, Cimmeriorum colonia. Spicileg. T. I. p. 58-64. Vide גמר.

אשל *tamariscus atl.* Genes. XXI, 33.

Nullum mihi dubium est, quin sit أَثْل Arabum, *tamarisci* species, in Aegypto frequens, descripta a Prospero Alpino, c. IX. plantarum Aegypti. Digna sunt, quae tota hic legantur verba Golii p. 21. 22. lex. "أثل, كز سورة *Asamio et* اق يلغون *lexico Ara-*
„*bico-Turcico, Mircat dicto: quorum illud est Persice,* salsuginosa my-
„rica, *hoc vero Turcice*, alba myrica. *Myricae, seu tamaricis speciem*
„*faciunt omnes.* / *Quam Zamachsjaris tradit, aculeatam esse, et in re-*
„*ctum adsurgere, ex ligno paropsides et pocula confici. Addunt alii,*
„*ramos ex viridi rubidiores esse, folia viridia myricinis similia, ramo-*
„*rum autem nodis adnasci baccas cicerum forma, ex flavo fuscas, quae*
„حب الاثل *et proprio nomine* العذبة *et* كزمازك *adpel-*
„*lentur. Acacalis Dioscoridis lib.* 1. *per* الاثل *Arabum interpretibus*
„*reddita fuit: et quod in nostris exemplaribus frutex dicitur, in Ara-*
„*bica versione* شجرة *(arbor) scribitur: atque ita forte in vetustio-*

„*ribus*

„ribus exstitit codicibus Graecis, quibus Arabes usi fuerunt. Nam eo„dem hoc nomine describit Prosper Alpinus, libro de plantis Aegypti „cap. 9. tamaricis speciem magnam, quae ad quercus altitudinem excre„scat. Sed quod fructum esse gallae similem scribit, id de forma citra „magnitudinem intelligi debet, uti ex Asia et Africa adlatae baccae ar„guunt. Neque vero Arabicum أثل *aliud videtur esse ab Hebraico „*אשל*, quod Genes. XXI, 34. et 1 Sam. XXII, 6. atque alibi generali „duntaxat significatione arboris interpretes reddunt: sed et Rabbinorum „quidam speciem tamaricis intelligi volunt.“*

Mirum, Golio contradicere Celsium, T. I. hierob. p. 535-545. hisque accedere, qui אשל *arborem* generatim significare volunt. Rabbinis, quorum aliqui ipsi Arabicae linguae periti, أثل contulerunt, acerbius reprehensis, *quorum*, inquit, *in his rebus non facile dicam majorne sit inscitia, an quidvis et quovis comminiscendi temeritas et audacia. Sic* אשל *referunt ad Ar.* أثل *quia sono utcunque conveniat.* Atqui non sono utcunque conveniunt, sed idem omnino sunt vocabulum, nec أثل Hebraicis literis aliis quam his ipsis אשל scribi potest. Fraudi fuit viro magno, quod contra utriusque linguae leges ث Arabicum cum ת Hebraeorum conferebat. Vide grammaticam nostram Arab. §. 2. n. 3. p. 15-18.

His, qui generatim *arborem* interpretantur, praeivit ex veteribus Onkelos, adferunt et sententiae argumentum, Sauli ossa sepulta dici 1 Sam. XXXI, 13. sub אשל, et 1 Paral. X, 12. sub אלה: immemores, aliis quoque multis in locis Paralipomena aliam lectionem exhibere, ac libros Samuelis, quarum alterutra falsa. Alii *lucum amoeniorem* intellexerunt, Aquila, *δενδρῶνα*, Symmachus *φυτείαν*, Samaritanus et duo sequiores Chaldaei, *paradisum*, Syrus Arabesque in Genesi ܢܨܒܬܐ, نصب, غرس, Vulgata, *nemus* vertentes. Confuderunt-

deruntne, aut contulerunt cum אשרה? an derivarunt a Chald. אַשְׁלָא *funis*, ut sint nemora recta linea ad funem plantata?

Quod Theodotion 1 Sam. XXXI, 13. *quercum* vertit, varietati lectionis tribuendum videtur: legebat, ut est 1 Paral. X, 12. אלה, quod et alias, quercum reddere solet. (Genes. XXXV, 4.)

אָשֵׁם et אָשַׁם peculiariter, *in alienis opibus deliquit, reum se sensit.*

Praeter generalem, notamque omnibus, *reatus* significationem, duae specialiores notandae,

1) *circa res sacras deliquit*, illas surripiendo, aut decimas non pendendo, *sacrilegium commisit.* Vide Levit. V, 14-16. XXII, 16. (ubi est, *de sacris comedere*) Num. XVIII, 9. (ubi *restituere* אשם, rem sacram surreptam dicuntur). Sic accepta eximie lucent loca, Jerem. II, 3. *sanctus est Israel Jehovae, primitiae ejus, devorans illum sacrilegium committit:* L, 7. *quisquis inveniebat eum, devorabat, hostesque dicebant, sacrilegium non committimus.* LI, 5. *sacrilegiis plena est terra Chaldaeorum, sanctis rebus Israëlis.* Hinc et illustrabis Habac. II, 11. ubi universis terris celerrimo victoriarum cursu peragratis tandem infelicissima Chaldaei potiuntur victoria, populum Deo sacrum in servitutem redigentes.

Quin et de aliis injuste partis, ma[illegible]ne, non reddito deposito, mutuo, aut eo quod inveneras, pon[illegible]ar, Levit. V, 20-27. Num. VI, 6-8.

2) *reum se sensit.* Sic vi oppositionis accipiendum Levit. IV, 22. 23. 27. 28. *si quis peccaverit per errorem* וְאָשֵׁם או הודע אליו חטאתו *et reum se senserit*, (ultro, ipsa illum admonente conscientia), *aut alius indicaverit ei peccatum quod commisit.*

Prima significatio verbi et physica incerta, ex Arabico tamen أَثِمَ et اثمة

أَتْبَة, *tardus*, *lassus*, suspicor, eam in *tarditate* fuisse, a qua optime dici potuerint, et peccata omissionis, generatim, (אָשָׁם) et decimae aliaque sacra non soluta, itemque mutuum, depositum, inventum, ei, cujus erat, non redditum.

אָשָׁם *sacrificium pro peccato omissionis.*

Vide quae dabo sub חטאת, aut notas ad Levit. IV, 2. V, 1-4. VI, 2. 3.

אַשָּׁף *incantator.*

Semel in Hebraicis occurrit Dan. I, 20. (ubi tamen mallem ut participium efferre, החרטמים הָאַשְּׁפִים *magos incantantes* vide bibl. Or. T. XXIII.) saepius in Daniele Chaldaico. Vocabulum ortu Aramaeum, quod et hic Syrus retinuit, (ܐܳܫܽܘܦܳܐ) ab ܐܫܦ *incantavit*, Deut. XVIII, 11. pro חבר posito.

אַשְׁפֹּת *lapides, quibus ollae imponuntur, tripodes.*

Nomen adpellativum, quod ter omnino occurrit, 1 Sam. II, 8. Ps. CXIII, 7. Thren. IV, 5. a nomine portae Hierosolymitanae proprio, Nehem. II, 13. III, 13. (*) 14. XII, 31. primo sejungemus.

Sterquilinium recentiores prope unanimiter vertunt, quod cum ineptum ac plane absonum locis 1 Sam. II, 8. Ps. CXIII, 7. Thren. IV, 5. videri possit, quis enim vel pauperrimus, sellam non habens, in sterquilinio sedeat? aut sterquilinium amplexetur? quin potius humi sedeat? miro tamen veteres omnes consensu hanc interpretationem praeiverunt, LXX. Vulg. Hieronymus, Chaldaeus, Syrus, Arabes, κοπρίαν, *stercus*, *sterquilinium* קלקלתא, קיקלתא, ܩܶܩܠܬܳܐ, مزبلة vel

(*) In impressis ibi quidem legitur, שער השפות sine Aleph, sed et res ipsa clamant, portam אשפות intelligendam esse, et VI. codices Kennicottiani cum Aleph האשפות habent.

vel زُبالة vertentes. Vix dubitandum in tanto consensu, quin veri aliquid subsit, licet id verum inepte posuerint.

Jam a multis annis auditores docui, videoque in lexicon id Cocceji a Schultzio castigatum immigrasse, אשפות ipsissimum esse Arabicum أُثْفِيَّة, *tripus cui olla imponitur*, quam ex Geuhari ita Golius describit: *tres lapides fere aequales quoscunque ad eam rem componunt Arabes Scenitae.* Late per Orientem hae ex lapidibus tripodes usitatae. Eques Chardin, modum descripturus, quo Persae ethnici panem coquunt, de igne ita: *ils allument ensuite un peu de feu entre trois pierres, sur lesquelles ils mettent une plaque de fer, — — elle n'est pas haute de terre plus de seize à dix-huit pouces* &c. (Voyages de Chardin T. IV. p. 177.) Ejusmodi ergo lapidibus et in Palaestina ad coquendum utebantur, cum tripodes ferreae deessent, in his et, cum sellas non haberent, sedebant. Ignis materia pauperibus non lignum, cujus inops Palaestina plerisque in locis et Arabia, sed fimus siccatus, ut ex itinerariis notum: ergo אשפות et *fimum congestum, stercora collecta* significare potuit. Hoc antiqui interpretes dederunt, verum quidem, sed primam significationem, unice locis aptam ubi in אשפות sedetur, ignorarunt. De etymo nominis nihil dico, cum ipsi Arabes dubitent, sitne ad radicem أثف an ثفي referendum: nec de illo valde laboro, ubi de significatione usitata vocabuli constat. Id quidem manifestum, أَثَّفَ *tripodi imposuit*, non primitivum esse, sed verbum denominativum.

Porta Aschfoth, שער האשפות, unde dicta sit, id vero pene ridiculum inquisitu: portae enim saepe aliquo casu, atque ex minimo, sortiuntur nomina, nec philologi est, conjicere, sed historici, coaevi, aut qui coaevos legit audiitque, dicere, unde nomen illis sit inditum. Unum repudio, quod omnes recentiores habent, exque antiquis LXX. Vulga-

Vulgata, et Hieronymus *portam sterquilinii:* אשׁפות non simpliciter sterquilinium est, sed fimus arefactus inter tripodes collectus accensusque. Potuit a tripode aliqua lapidum naturali, a colle vicino (nam et colles ab أثف dicuntur) potuit aliunde porta nomen nancisci, ulterioremque ea de re inquisitionem, tacente historia sapiens deprecabitur.

Syrus interpres Neh. II, 13. III, 13. 14. ut nomen proprium retinuit, sed per Samech scriptum, quod nempe non שׁ sed שׂ adpellandum putaret, ܬܪܥܐ ܕܐܣܦܘܬ. Suspicari posses, eum אשׁפות et אספים Neh. XII, 25. 1 Paral. XXVI, 15. 17. pro uno eodemque nomine habuisse, forte et per Samech אספות legisse, nisi אספים Neh. XII, 25. plane aliter verteret.

Arabicus Nehemiae interpres, c. II, 13. باب الاسباط *portam tribuum* habet, ut pro האשׁפת legisse videri possit, האשׁבת, idque, malus grammaticus, ad שׁבט *tribum* retulisse. Contra idem c. III, 13. 14. باب الزيادة vertit, i. e. *portam augmenti*, nec dissimiliter XII, 31. Syrus et Arabs, *portam magnam* (ܬܪܥܐ ܪܒܐ — باب الكبير).

Non haec eo fine collegi, ut quidquam ex illis eligam, amem, ornem, sed ut videant lectores, veteres jam de nomine portae dissentire, nec illud etymologice interpretari audeant, nisi quid certi se aut valde verisimile offerat. De situ portae non disputo, quod alii id fecerunt, nec dudum dictis meliora et certiora habeo.

אֶשֶׁר male positum, pro אשׁר vel, אֶשֶׁר, *felicitas*, *vestigia*, *rudera*.

Singularem vocabuli אַשְׁרֵי *beatitudines*, semel occurrere, Genes. XXX, 31. ut notum sumo, בְּאָשְׁרִי quamquam vel ibi mallem בְּאַשְׁרֵי.

Hujus nominis locum male nonnunquam errore punctatoris אֶשֶׁר occupavit, filum orationis impediens. Refero huc Pſ. X, 6. ubi malim אֶשֶׁר לֹא ברע, *felicitas ſine malo*, i. e. *perpetua felicitas*, (biblioth. Orient. T. XI. p. 202. 203.) forte et Pſ. CXIX, 39, אֶשֶׁר לִיראתך *felicitas eſt timori tuo* (bibl. Or. T. XIX. p. 154.)

Eaedem literae, neſcio quibus vocalibus animandae, forte his ipſis אֶשֶׁר, aut אֶשֶׁר, poſſunt et *veſtigia* ſignificare, ex Arabico أَثَر et أُثُر. Sic accipiendae videntur in loco hucusque obſcuriſſimo, Jeſ. XXXI, 6. שׁוּבוּ לְאֶשֶׁר *revertimini ad veſtigium*, i. e. ite retrorſum, relegite veſtigia. Bibl. Or. Supplem. Tomi XIV. p. 108. 109.

Arabibus آثار veſtigia, ſunt et *rudera* vaſtatarum urbium: hinc lucem accipit locus, eximie languidus ex lectione אֶשֶׁר Num. XXI, 30. ſed lucens et concinnus, ſi efferas אֶשֶׁר עַד מידבא *vaſtavimus usque ad Nofach, rudera* (ſunt) *Medebam usque*. Vide bibl. Or. Tom. XXIII.

אֲשִׁישָׁה *fundamentum, maſſa uvarum paſſarum.*

Nomen perquam obſcurum, audacibusque tentatum conjecturis, ſingulariter occurrens, 2 Sam. VI, 19. 1 Paralip. XVI, 3. pluraliter, אשישות Cant. II, 5. et אשישים Jeſ XVI, 7. Hoſ. III, 1.

In Jeſaiae quidem loco prope certum videtur, idem ſignificare, quod Chald. אֻשַּׁיָּא, et Ar. أَسِيس *fundamenta*, ut et harmonice vertit Syrus, ܐܶܫ̈ܶܐ. Diſplicuerunt quidem Clerico *fundamenta*, ex mera conjectura pro illis, *muros*, reponenti: mihi vero egregie locum tueri videntur, quae ſola jam de everſa urbe ſuperſunt, fletu digniſſima. Arabibus quidem a fundamentis et *reliquiae, id quod ſupereſt*, dicta, i. e. ubi de everſa urbe ſermo, *rudera*.

At

At de reliquis locis difficilior disputatio. En veterum divergia, recentiorum enim conjecturas persequi non vacat.

1) Judaeis jam inde a Thalmudicorum tempore, qui אשישה in Bavabathra ita posuerunt, *lagena* est, vel potius; *sextarius*. Sic quidem Chaldaeus 1 Par. XVI, 3. מנה חד מן אשתא בהינא חמרא *portio una vini de senis, quae sunt in Hino*, ibidemque Kimchi, *sexta pars Hini*. Idem voluit Chaldaeus 2 Sam. VI, 19. sed brevius dixit, מנתא חדא *portio una*, eodemque referendum Syriacum ܦܣܬܐ 2 Sam. 6. et 1 Paral. 16. ut intelligitur ex Arabe, qui vocabulum Syriacum per كاس خمر *poculum vini* reddidit. Irrepsit et in versionem Lutheri, nisi quod Cant. II. 5. poculum vini ponere recte dedignatus est. — — Haec quidem versio ex temeraria etymologia orta, Judaeis אשישה invita grammatica ad שש sex referentibus, et Cant. II, 5. plane indecora. Quae puella pulcra, non plane de perdito prostibulorum genere, haec effundet, *fulcite me vini poculis, quia aegrota amore sum?* Ergo commentum Judaicum plane abdicandum.

2) *Placentas* alii intellexerunt, incertum utrum ex conjectura, an quod ad אש ignem referrent, an denique, quod a fulciendo i. e. satiando, (vide סעד) tanquam *fundamenta* dicta putarent. Hi tamen ipsi in genere placentae valde diversi.

LXX. 2 Sam. VI, 19. λάγανον ἀπὸ τηγάνου habent, *placentam in sartagine coctam*, in Hosea, πέμματα μετὰ σταφίδος, *placentas intermixtis uvis passis*, 1 Par. 16. ἀμορίτην, i. e. *placentam mellitam*, quin et in Cantico, ubi nunc μύροις, *unguentis*, legitur, scripsisse videntur, ἀμόραις, *reficite me placentis mellitis*. Vide Bielii lexic. P. II. p. 372.

At Vulgata in libro Samuelis et chronicorum *similam frixam oleo* habet. Contra,

3) ea-

3) eadem in Hosea *vinacea uvarum.*

4) *Flores*, Symmachus et Vulgata in Cantico, Aquila, οἰνάνθας *flores vitis.*

5) Eidem Symmacho in Hosea sunt ἄκαρπα.

6) Denique Aquila, cum יְשִׁישׁ idem putans, in Hosea πάλαια, in Jesaia πολυχρονίους reddidit.

En inconstantiam interpretum, vel sibi ipsis contradicentium, ac nihil verisimile adferentium. Mihi quidem

7) reliquis verisimilius videtur, quod Hos. III, 1. Syrus habet, ܕܒܫܐ ܕܩܫܝܫܐ proprie, *mel uvarum passarum*, id vero est, *Sirup aliquod ex uvis passis paratum, quod in firmam substantiam redigi, atque sic vendi solet.* Vide de eo plura sub דבש et צמוק. Hujus uvarum mellis frequens in Oriente usus, facitque pro eo, primo, quod omnibus locis aptum, deinde quod etymon suppetit, mellis enim massae, plerumque quadratae, lapidibus quadris comparatae, *fundamenta* dici possunt.

אֵת *vomer*, *aratrum.*

1 Sam. XIII, 20. 21. Jes. II, 4. Joel. IV, 10. Michae IV, 3. Ad radicem אתת referri solet, quod in prophetis cum Dagesch אִתִּים scribitur: res tamen dubia, 1 Sam. XIII. enim, ut jam aliis observatum, sine Dagesch אֵתוֹ et אֵתִים scribitur, ac si med. rad. Vau esset, quin et cum Jod in bibliis Kennicottianis איתו 1 Sam. XIII, 20. quinque codices habent, atque איתים Jes. 2. sex, Joel. 4. sex, Michae 4, duo.

Reliquis linguis Orientalibus plane ignotum, ac forte ex lingua extera in Hebraicam receptum: quod enim S. R. Schultzius Arabicum contulit أَثَاثٌ *supellex domestica*, primo contra analogiam utriusque linguae est, pro ث Arabum ש Hebraicum exigentis, deinde nec satis significatio concinit, את enim sine dubio certum aliquod *aratorum instrumen-*

ſtrumentum eſt, ſupellex domeſtica generatim a *multitudine* et *opibus* nomen أثاث obtinuit. Significatio tamen magno veterum conſenſu ſatis certa, *vomer*, atque univerſim *aratrum*. Sic fere omnes, niſi quod 1 Sam. 13. generaliore verbo uſi LXX σκεῦος *inſtrumentum* (aratorium) verterunt:

aratrum, LXX. Jeſ. 2. Joel. 4. Mich. 4. Vulg. Joel 4. Arabs in Micha et Joele,

vomerem, vel plenius, *vomerem aratri* (*), Vulgata in Samuele, Jeſaia, Micha, Syrus ubique, Chaldaeus ubique, Arabs in Jeſaia. Nec loca Jeſaiae, Joelis, Michae legere poteris, quin ſtatim de vomere cogites.

Male ergo lexicographorum non pauci, Judaeos ſequuti, *ligonem* verterunt, nemine ex antiquis praeeunte, praeter Symmachum, qui 1 Sam. 13. σκαφεῖον habet. Vide Kimchi ad hunc locum, ubi explicat, *inſtrumentum quo fodiunt ficum*, Chaldaeumque, qui verterat, סכת פדנין, *vomerem aratri*, invitum in ſuas partes ire cogit, contradicente lingua Arabica, cui سكّة ſine dubio vomer eſt.

In bibliotheca Orientali T. XIX. p. 184. ſuſpicatus ſum, noſtrum את, ſed per Vau ſcriptum, Hoſeae X, 10. occurrere, ibique aliter diviſis vocibus legendum, בְּאוֹתָיו אֲסָרָם *aratris ſuis alligavit illos*.

אָתַן *ſtetit*, *tardus fuit*.

أَتَنَ Arabibus eſt, *contracto brevique greſſu fuit*, *ſubſtitit*, unde et *aſinam* أَتَان Hebraeis אתון dictam monuit Golius: quae mihi quidem

(*) *aratri* addunt aliquoties, (صمد فدانا in Jeſ. Joel. Mich.) ad tollendam vocabuli Aramaei ܣܟܬܐ ambiguitatem, et *paxillum* ſignificantis, quae fraudi fuit Arabi, 1 Sam. 13. وتد *paxillum* vertenti.

quidem derivatio prae Bochartiana, a *constantia*, placet. (Hieroz. T. I. p. 60.)

In codice masorethico verbum nuspiam occurrit, bis tamen invenisse sibi veteres visi sunt, atque altero in loco forte recte. Job. XXXIII, 19. אֵתָן in nostris editionibus, ac parte codicum (55 enim Kennicotto collati plene habebant) sine Jod scriptum, אָתַן efferri potest. Id quidem fecerunt, et pro verbo habuerunt, LXX. vel potius Theodotio, Vulg. Syrus. Ex his Theodotio ורב עצמיו אָתַן vertit, καὶ πλῆθος ὀστέων αὐτοῦ ἐνάρκησε, ratus, a tarditate *torporem ossium prope immobilium*, dici, et Vulgata transitive, *marcescere fecit*. — — Dan XI, 6. septuaginta ותנתן verterunt, καὶ ὁ βραχίων αὐτοῦ ναρκήσει, ex varia lectione, sed quae in nostris codicibus non reperta Kennicotto est, וזרעו תאתן.

Mihi quidem verbum אתן Jobi loco eximie aptum videtur, altera lectione Keri, וְרֹב עצמיו אָתַן vertenda, *et omnia ossa ejus tarda et immobilia sunt*, eique emoriuntur, (apta descriptio morbi Jobi, leprosis enim ossa vere emoriuntur, onus potius, quam membra) altera Cthib וְרִיב עצמיו אָתַן *et lis ossium persistit*, i. e. perpetua est.

אֵתָן

Duo nomina, *Ethan*, a radice אתן et יתן probe distinguenda: illud אֵתָן scribi oportuisset, hoc אֵיתָן, sed quis vel sperare audeat, contigisse, ut librarii in tanta plenorum ac defectivorum licentia semper discrimen observarint. אֵיתָן, *fons perennis*, vide sub Jod, hic de אֵתָן agendum.

Michae VI, 2. propheta alloquitur, *montes*, (הרים) et האתנים מוסדי ארץ, sine Jod in nostris editionibus (*): hoc quis vertere potest,

(*) Magna tamen lectionis varietas, Kennicotto 55 codices pro האיתנים citante.

poteſt, *fontes perennes fundamenta terrae?* quis non vel ex filo orationis intelligit, de petris ac promontoriis, quibus tanquam fundamento terra fulciatur, ſermonem eſſe? Nempe Arabibus أَتَّان *petra* eſt *durior*, ab immobilitate dicta, et اتان الضحل (petra aquae paucae) *petra ex aqua non valde profunda eminens, et aliqua parte conſpicua.*

Num. XXIV, 21. plene quidem ſcriptum legimus, איתן מושבך, ſed iterum filum orationis non ad ſcaturigines nos, ſed ad praerupta petrarum deducit, ſequitur enim, ושים בסלע קִנֶּךָ *et poſitus in petra nidus tuus.* Ergo et prius membrum verterim, *ſaxum eſt habitatio tua.* In rei ſumma concinunt, LXX. ἰσχυρὰ ἡ κατάπαυσίς σου, Vulg. *robuſtum*, Syrus ܥܫܝܢ (*validum*) Ar. Erp. قويّ, Ar. Pol. صُلْبًا, vitio librarii pro صُلْبًا *terra lapidoſa.*

אֲתַר *locus.*

Syris, Chaldaeis, Samaritanis אתר *locus* eſt: hinc explico אתרים Num. XXI, 1. quod alii *exploratores* vertunt, pro תרים, alii nomen proprium eſſe arbitrantur. Oppoſuit meae explicationi S. R. Dathe, conſtructionem cum דרך, *via regionum:* mihi vero illud dubium ſolutum videtur, modo ad He praefixum nomini praemiſſum adtendas, דרך הָאתרים, audivit, *venire Iſraelem in via ad haec loca.*

בָּאָה *ſuperbivit.*

Arabibus بأا pro باو eſt, *ſuperbivit*, et بأا نفسه *extulit ſe.* Ad hanc radicem in bibliotheca Or. Adpend. Tomi XII. p. 192. retuli תבאינה cum Jod ſcriptum, 1 Sam. X, 7. puncta ſubſternens, תְּבְאֶינָה *cum haec ſigna animos tibi addiderint.* Subvereri tamen incipio, ut recte: poſſit enim et תְּבֹאֶינָה efferri, *cum haec tibi ſigna venerint*, re idem cum altera lectione ſine Jod, quam vocales ſequuntur, inque multis codicibus invenit Kennicottus, תְּבֹאנָה.

באש *foetuit, fortis fuit.*

Foetoris significatio, a quo et *malum* dicitur, satis nota. Arabibus vero et *fortitudinem, ac virtutem bellicam* بأس denotat, hoc forte significationum stemmate, 1) *foetuit*, a foetore, peculiariter hircino, mascula dici possunt, hinc 2) Aethiopibus, באש *vir* 3) a viro, *virtus* et *fortitudo* Arabibus dicta.

Sic poni videtur 1 Sam. XIII, 4. *audiverunt omnes Israelitae, quod Saul praesidia Philistaeorum profligasset*, וגם נבאש ישראל בפלשתים *atque fortiter rem gessisset Israel contra Philistaeos.* Sic certe ex antiquis, Syrus ܡܣܟ *quod fortis fuisset*, Ar. ظفر *vicisset* Vulg. *erexit se Israel adversus Philistaeos*, Chald. אתגרי *pugnasset.* Foetoris certe significatio loco inepta: de victore quis dicat, eum se foetidum fecisse victis?

בָּאְשָׁה plur. בְּאֻשִׁים *napellus.*

Singularis באשה occurrit Jes. V, 2. pluralis באשים Job. XXXI, 40. Utrobique eadem puncta subjici fas fuisset, sed punctatori in vocabulo, quod ipse non intelligebat, aliter visum.

Ex meris conjecturis veteres ignoto vocabulo significationes commenti sunt. Quae in nostra et lexica et commentarios irrepsit, *labruscae*, Hieronymo debetur, ad Jes. V, 2. haec habenti: *pro labrusca, quam nos vertimus, in Hebraeo scriptum est BUSIM, quod Aquila interpretatus est σαπρίας, i. e. fructus pessimos, Symmachus ἀτελῆ i. e. imperfecta, LXX et Theod. spinas. Puto autem melius esse, labruscas, quam spinas intelligi.* Male ille quidem, labruscae loco Jobi ineptissime: cui enim unquam ager hordeo consitus, labruscas extulit. Spinae certe multo fuissent meliores, quas et Job. 31. ipse posuit Hieronymus. — — Alii habent, Syrus in Jesaia, ܡܣܪܘܩܐ, i. e. *cerati-*

um,

um, Symmachus in Jobo, ἀτελεσφόρητα, Chald. חוחי, i. e. *herbas quae evelluntur.*

His quidem conjecturis jam non opus, postquam Celsius T. II. p. 199. collato Arabico بيش docuit, *napellum* esse, vel, ut alio nomine dicam, *aconitum:* quae quidem herba venenata luxuriosius et sponte provenit in collibus apricis, quales vinearum esse solent. De aconito ergo jam non amplius dubitandum: nec tamen subticenda nova Hasselquisti sententia, qui pag. 561. itineris in Palaestinam *solanum* intelligit, hoc potissimum ductus argumento, quod solanum sit vitibus similius, botros habens, ab Arabibus *botros lupi* dictos. Verum haec similitudo nihil ad rem, in Jobi enim loco ager *pro hordeo effert* באשה. Est praeterea mera conjectura, nulli enim linguarum Orientalium solanum a באש dicitur, Celsiana sententia ex Arabismo certa.

בָּבַת עַיִן *pupilla oculi.*

Proprie, *porta oculi*, collato Arabico بَاب, quod et in linguam Thalmudicam receptum ex ea jam attulit Coccejus. Cum non nisi semel occurrat, Zachar. II, 12. suspectum videri possit, ac forte tentes aliud pupillae nomen בַּת עין: suppetias ergo laturus moneo Syris quoque et Chaldaeis pupillam, ܒܒܬܐ? ܒܒܐ dici.

בג et forte inde, פתבג *dapes exquisitiores.*

בג in Chethib, in scriptore occurrit Danieli coaevo, Ezech. XXV, 7. ab eoque derivatum putatur, praemisso פת *frustum*, פתבג *dapes exquisitiores regiae* Dan. I, 5. Originis Hebraicae si sit, forte conferre possis, بَجْبَاج *cujus carnes obesitate moventur et tremunt*, ut pinguior sit i. e. delicatior cibus: sin exterum, a Chaldaeis barbaris eo tempore linguae invectum, Persicum بَج genae, in Ezechiele, *dedi te genis*,

 i. e.

i. e. maxillis, ori gentium, in Daniele, *frustum maxillae.* Verum difficilis est de hoc vocabulo disputatio: בג enim non certa lectio, Keri בז habente, פתבג forte totum, quantum est, exoticum, quod sine notitia perfectiore linguarum Asiaticarum expediri non potest. Habent quidem et Syri, mutato Thau in Tet, ܦܛܒܓ, de quo copiose egit Castellus, opiniones Syrorum adferens, sed certi nihil. Ergo N. L.

בָּגַד *contemsit, perfidus fuit.*

Recentiores fere de *perfidia* accipiunt, nec ea significatio abjudicari verbo ejusque derivatis posse videtur, quin et veteres saepe ita ut, Jerem. III, 6. omnes: sed tamen et veteres toties de *contemtu*, ut nec hanc ei vim negare ausim, maxime, quibusdam locis *contemtu* aptiore quam *perfidia.* Ancilla qui non pro concubina utitur, is certe perfidus dici non potest, ergo Exod. XXI, 8. post haec, *si displicet domino, nec eam sibi destinat, redimi eam sinet, non jus habet eam alii populo vendendi,* בבגדו בה vertendum, *si aspernatur illam.* (Vide jus Mosaicum §. 88. pag. 122. 123.) Ps. XXV, 3. vix potest verti, *perfidi sine caussa,* perfidia enim semper injusta ac sine caussa; melior sententia, *contemtores, protervi, sine caussa,* his oppositi, qui Deo confidunt. Vide et Jes. XXXIII, 1.

Forte prior vis verbi, in *contemtu:* a contemtu mariti primo *perfidia* uxoris dicta, deinde totum genus perfidiae.

Caeterum harum significationum nihil habent reliquae Orientis linguae, nec ex illis ratio reddi nominis בֶּגֶד potest: prima ergo verbi significatio latet.

בֶּגֶד *vestis exterior, velum quadratum.*

Nonnunquam eadem, quae שמלה *velum quadratum satis magnum reliquis vestibus totique corpori circumdatum, cui se pauperes noctu involvebant dormituri.* De involucro dormitorio accipiendum Jes. LXIV,

LXIV, 5. si vertas, *vestis menstruata*, nec enim vestis exterior, sed velum dormitorium maculari sanguine menstruo potest. 1 Sam. XIX, 13. 1 Reg. I, 1. Amos II, 8. Hinc et Num. IV, 6. 7. 8. 9. 11. 12. 13. de velo ponitur, quo res sacrae, candelabrum, altare &c. involvuntur.

Hoc quoque nomen non habent reliquae Orientis linguae.

ברא *excogitavit.*

Rarius verbum, 1 Reg. XII, 33. Neh. VI, 8. lectum, sed de significatione certos nos facit Arabicum بَدَأَ *incepit, novum quid excogitavit.*

Praeter haec loca verbum in codice masorethico non occurrit: at cum بدأ Arabes de *creatione* quoque ponant, videamque, pro verbo ברא aliquod ipsis insolentius nonnunquam LXX reposuisse, ut Jes. XL, 26. XLI, 20. κατέδειξε, *primus monstravit, invenit*, suspicor, eos ibi בָּדָא legisse. Id vero maxime facit ad verba אשׁר ברא לעשׂות ex consveta lectione languida, melius intelligenda. LXX ipsissimum ibi verbum ἤρξατο reponunt, ac si בדא legissent, loco aptissimum, *quod excogitavit*, vel etiam, *coepit facere.* Sic Arabibus, ut jam monuit Golius, Deus dicitur, المبدي والمعيد *qui primum creavit homines, eosque redire facit* i. e. *resuscitat:* estque et alias frequens ac prope proverbialis utriusque verbi oppositio, ut Sura XXXIV, 48. *jam venit veritas*, وما يبدئ الباطل ولا يعيد *nec denuo novum exsistet mendacium, aut redibit* vetus. Alius insignis locus, Num. XVI, 30. ubi suspicari possis, pro בריאה יברא legendum esse, בריאה יבדא, *si quid plane novi fecerit Deus.* Hic quidem, incertum utrum duce filo orationis, an ex varia lectione, Vulgata: *si autem rem novam fecerit dominus.* LXX. εἰ ἐν φάσματι δείξει Κύριος, ac si בריאה per Resch legissent, ad ראה referentes, et יבדא per Daleth, δείξει vertentes.

Pſ. LI, 12. pro בְּרָא mallem בָּרָא *cor purum renova mihi,* ob parallelismum ſequentis membri, *voluntatemque certam* חַדֵּשׁ בְּקִרְבִּי *inſtaura in me:* eundemque ob parallelismum verbi תחדש in membro ſequente, יבראון *renovantur, renaſcuntur.* Pſ. CIV, 30. Sed nulla lectionis varietas in codd. et verſſ.

בַּד *ſolitudo, vectes, linum xylinum purum, rami, eremitae fatidici.*

A radice ברד, Ar. بدّ *ſeparavit,* plura ſignificat, quorum etymon rectius expediendum:

1) *ſolitudinem.* Hinc ortum notiſſimum לבד, ſemel tamen et ut nomen occurrit, Job. XVII, 16. בַּדֵּי שאול *ad ſolitudinem inferorum deſcendent,* vel, *deſcendetis* oſſa mea.

2) *vectes,* a disjungendo et ſecludendo dicti. Hinc voluerunt non pauci.

3) *oſſa* dici tanquam vectes corporis. Incondita phraſis, reliquisque linguis Orientalibus inaudita. Locus quem pro ea adferunt primarius Job. XVIII, 13. *comedet vectes ejus, comedet vectes cutis ejus,* (monſtrum ſane phraſis et portentum) perit mutatis punctis. Vide biblioth. Or. T. VIII. p. 180. XIX. 189.

4) *linum xylinum,* idem quod Aegyptio nomine שש, nec enim diverſa eſſe שש et בד, ut multis viſum, ſed idem, vel hoc argumento ſatis docuit Braunius de veſtitu ſacerdotum, quod Moſes, ubi in altero loco שש, in altero בד habet. בד dicitur, tanquam, *ſolum,* i. e. totum linteum, purum linum, cum oppoſitione ad veſtes ex lino et lana confectas, Deuteron. XXII, 11. (Celſius T. I. hierobotanici p. 512. ex Arabico بز, *byſſus,* ortum putabat, Zain in Daleth mutato: contra linguarum analogiam! Hebraeorum enim

Zain

Zain Syri Arabesque in Daleth aut ذ mutant, non contra Hebraei aliorum Zain in Daleth).

5) *ramos majores vitis, in quos statim a stemmate expanditur.* A separando ac dividendo dictos autumo.

6) *vates*, sed sensu sequiore, Jes. XVI, 6. XLIV, 25. &c. Et hi a solitudine dicti, ac proprio vocabuli significatu eremitae fuisse videntur, vaticinandi facultatem prae se ferentes.

בְּדִיל *stannum.*

Recte stannum verti certissimo argumento est enumeratio metallorum, Num. XXXI, 22. Ezech. XXVII, 12. Mirum videri possit, Mosis jam tempore Midianitas *stannum* habuisse; sed tamen inspecto loco certum: cujus metalli cum duplex patria sit, Britannia, et Malacca Indiae, dispexerint alii, ex utra Mosis tempore advectum fuerit. De etymo quid aliis visum sit, docebit Simonis: equidem malim بَدِيل conferre, *pro alio substitutum, succedaneum*, a بدّل *permutavit*, quod pro argento, colore simillimo, substituebatur.

Semel in Jesaia pluraliter occurrit, c. I, 25. ubi suspicari possis, omnia viliora metalla intelligi, quibus argentum adulteratur, *substituta* ut ita dicam argento. Unus quidem codex, 252, singulariter habet בדילך, sed vix videtur ex eo solo lectio mutari posse. Pluralem in nominibus metallorum insolentiorem vitaturi LXX ἀνόμους verterunt, paraphrastice? an Arabismo defendendi, cui بذل est, *profanare*? Exempla significationis adscribo a patre meo collecta, quod Golii lexicon eam omisit, Exod. XX, 25. Levit. XX, 3. XXI, 4. 6. Adde versiones Samaritanorum Arabicas Genes. XLIX, 4. biblioth. Orient. T. XVI. p. 84.

בְּדֹלַח *bdellium*, forte et, *gemma*.

Nomini bis obvio, Genes. II, 12. Num. XI, 7. de quo primarii ex eruditis viri tantopere dissenserunt, ut tacere ac dubitare aliis videretur sapientius, cum duae maxime ab antiquis tribuantur significationes, *bdellii*, et *gemmae;* mihi quidem dividenda videtur sententia. Num. XI, 7. certum prope et exploratum habeo, bdellium esse, mannae omnino simile: at de Genes. II, 12. dubitandum reor, mallemque gemmam, quam bdellium, primo, quod bdellium non tam eximium naturae donum, ut ab ejus proventu laudari regionem verisimile sit, deinde, quod in Arabia colligitur ipsisque notum erat Israelitis, ne ut exoticum quidem in regione extera describenda nominari dignum.

Quod superest, in classes redigo veteres, in quibus aliquid auctoritatis residet, addens primariorum virorum nomina, qui in partes eorum ierunt. Ergo

1) ipsum nomen retinent Onkelosus Gen. 2. ברלחא Syrus utrobique, ܒܕܘܠܚܐ (quod enim in Polyglottis legitur, ܒܪܘܠܚܐ manifestum vitium est, sive librariorum, sive editoris Gabrielis Sionitae, in talibus innumeris deprehensi) forte et Samaritanus Num. XI, in cujus versione edita nunc ברלה legitur, nomen linguis orientalibus plane ignotum, sed suspicor, si codices diligentius excutiantur, ברלה (promiscue enim literis ה et ח Samaritani utuntur, quin et Genes. 2. duo codices eorum in textu הברלה habent) aut ברלח repertum iri. Hi ergo ignorantiam ingenue professi videntur, linguis enim eorum domesticum fuisse nomen vix verisimile, cum, ut postea videbimus, ne Ephraem quidem intellexerit aut de bdellio cogitarit.

2) *Bdellium* habent, Aquila, Symmachus, Theodotio Num. XI. Josephus Ant. III, 1, 6. et Vulgata utrobique. Pro bdellio facit con-

centus

centus nominum, maxime ſecundum Dioſcoridem, quem bdellium βδόλχον vocare alii jam monuerunt. Hanc quidem ſententiam ſuam fecit, ornavitque, Celſius T. I. p. 324-327. Caeterum nulla linguarum cum Hebraica cognatarum hoc nomen bdellii habet, ac ne derivationem quidem probabilem ſuppeditat: Arabibus bdellium مُقْل. Suſpicor ergo barbarum eſſe, forte ex ſeptentrionalis Aſiae lingua advectitium, atque ab Abrahamo linguae quam nunc Hebraicam dicimus, illatum. A Graecis illud repetere fas non eſt, qui potius ipſi ex Aſia acceperunt.

3) Κρύσταλλον habent LXX. Num. XI.: non cryſtallum, cui nulla cum manna ſimilitudo intercedit, ſed *glaciem*, cui in minora grana contuſae, ſimile manna. Sic certe Ephraemus quoque Syrus in hoc ipſo capite obſcurum vocabulum ܒܪܘܠܚܢܐ explicaturus adſcribit, ܚܙܘܗ ܐܝܟ ܚܙܘܐ ܗܘܐ ܕܓܠܝܕܐ *h. e. adſpectu ut glacies*, ſumta interpretatione ex c. XVI, 14. ubi כפר *pruinam* Syrus ܓܠܝܕܐ verterat. Cryſtallum tamen ex recentioribus optavit Relandus.

4) Gemmam alii intelligunt, ſed alii aliam. Ἄνθρακα i. e. *carbunculum* LXX. Geneſ. 2. Onkelos Num. XI. ברולחא *beryllum*, quo et referunt, quae ſub numero 1 habeo, Syri ܒܪܘܠܚܢܐ et Samaritani ברלה. Suſpicor, beryllum ex ſola confuſione ד cum ר exſtitiſſe. Cryſtallum Raſchi Num. XI. habet, alii alias, prout ipſis lubuit gemmas, quarum nulla mannae ſimilis.

5) Margaritas uterque utrobique vertit Arabs, (لؤلؤة) quam ſententiam ſuam fecit et defendit Bochartus T. II. hieroz. l. V. c. 5. hoc maxime ductus argumento, quod margaritarum ſinus Perſicus dives ſit, ad quem, audaci quidem conjectura et magno errore, regionem Chavilam Geneſ. II, 12. memoratam, ſitam fuiſſe putat. Eandem ob cauſſam easdem in partes ivit Huetius in diſſ. de ſitu pa-

radisi. Addita et derivatio a בדל *separare*, unde margaritae dictae sint, ut Arabibus فريد et Latinis *uniones*: sed in qua Chet negligitur. Mihi quidem margaritae, mannae dissimillimae, vel hanc ob caussam displicent, quod alia jam habent apud Hebraeos nomina: ac forte qui primi inter Judaeos hujus sententiae auctores fuerunt, ne de margaritis quidem sed de gemmis cogitarunt, מרגלי enim et margaritam et gemmam significat.

6) Perobscure Samaritanus Genes. 2. vertit פנקלה. Hoc quid est? funiculusne? ut Chaldaicum פונקלא *peniculamentum*, et Syriacum ܦܘܢܩܠܐ *filum, trama?* seriemne margaritarum filo innexarum intellexit? Forte aliquid lucis Samaritano-Arabicae versiones darent, si eas consulere liceret.

Varietatem forte lectionis exspectes, ut ר pro ד positum, sed nulla gravior in hac voce occurrit, nec illa, de qua in bibl. Or. T. IX. p. 174. conjeceram בולח: quinque codices in Genesi et tres in Numeris plene habent, ברולח, duo Samaritani in Gen. unus in Num. per He ברלה, verum haec nihil ad sententiam.

בֶּדֶק *rima*, בָּדַק *rimas reparare*.

בֶּדֶק, nomen, quin rimas, i. e. fissuras et ruinosa aedium significet, nemo dubitabit, qui 2 Reg. XII, 6-13. legerit. At de verbo בָּדַק ἅπαξ λεγομένῳ 2 Paral. XXXIV, 10. res non aeque expedita. Coccejus *investigare, inspicere*, vertit, vultque ab eo rimas dici, quod inspectionem postulent. Non nego, Syris, Chaldaeisque (Arabes enim non habent) בדק esse, *investigavit*, sed verbum a nomine ortum putem, ac proprie esse, *rimari*, indeque apud Syros et, *indicare*, atque Act. VII, 52. *praenuntiare futura*.

Haec vero investigandi et rimandi significatio loco Paralipomenorum minus apta: sed alia potius, ipsa quoque denominativa, *rimas*

ruinas-

ruinasque reparare. Id quidem Syris significat in Pael: quod ne soli lexico credatur, exempla adscribo. Ephraemus in commentario ad 2 Reg. XII. pro ܬܘܪ̈ܥܘܗܝ ܕܒܝܬܐ ut aequipollens ponit, ܒܘܕܩܐ ܕܒܝܬܐ *reparatio templi*, ibidemque de Christo dicit, eum venisse, ܠܡܒܕܩܘ ܘܠܡܚܕܬܘ ܠܒܝܬܗ ܕܐܠܗܐ *ad sarciendam et instaurandam domum dei, perruptam et subsidentem.* Syrus interpres pro חַזֵּק בדק 2 Reg. XII. ponit ipsum verbum cum nomine ܒܕܩ, ut v. 7. ܠܡܢܐ ܠܐ ܡܒܕܩܝܢ ܐܢܬܘܢ ܒܕܩܐ ܕܒܝܬܐ *cur non reparatis fissuram domus*, idque Arabs, Syriaca vertens, رمّ *reparare*, et c. XXII, 5. حدّث *instaurare*, reddidit. Monuerat jam ex linguae patriae notitia Theodoretus ad 1 Reg. XII. ubi LXX. nomen *Βέδεκ*, ipsis non intellectum, retinuerunt, (*ἵνα κρατήσουσι τὸ Βέδεκ*) *Βέδεκ καλεῖται τῶν ἐφθαρμένων ξύλων ἢ λίθων ἡ θεράπεια.* Ergo 1 Paral. XXXIV, 10. verte, *ad reparandum* templum, praeeuntibus, Vulgata, *ut instaurarent templum*, et LXX. *ἐπισκευάσαι.*

בֹּהוּ *inanitas.*

Sine dubio significat *vacuum* et inane, idem quod תהו, collato Arabico بها pro بهو *vacuus fuit.* Concidit ergo quae multis placuit, Cocceji conjectura, ex uno loco Jes. XXXIV, 11. ducta, תהו et בהו esse contrarium fundationis et aedificationis, et quidem בהו proprie, *quod non ad perpendiculum sit*, seu, ut ipse eloquitur, *carentiam fundationis et exstructionis.* Aegre quidem haec philosophus ad Genes. I, 2. transtulerit, quidque ibi legat, intellexerit: at terram vacuam et inanem, i. e. sine habitatoribus fuisse, id intelligit.

בהל Ps. II, 5.

Duplex cum sit vis verbi apud Hebraeos, *festinandi* et *terrendi*, ratio reddenda, cur Ps. II, 5. in versione germanica maledicere reddiderim.

derim. Plerique ibi, *in excandescentia suo terrebit eos*, nec damnaverim: at Arabibus بهل est inter alia, *maledixit ei Deus*, eaque significatio parallelismo membri praecedentis, *loquetur ad illos in ira sua*, aptior videbatur. Sed statuant, ut lubuerit, lectores.

Unum monendum, Arabem, qui alias LXX sequitur, hic eos deserere, ac vertere يُبْهِلُهُمْ *negliget eos*. Scholion esse videtur, ex ipsis Hebraicis pro Arabum usu intellectis sumtum, بهل inter alia est, *non curare aliquem, sibi ipsi relinquere, ut quod velit faciat.*

בְּהֵמוֹת Job. XL, 15.

Eam belluam, quae Jobi XL, 15-24. describitur, elephantem esse, me quidem judice dubio caret: vide versionem germanicam, notasque ei adjectas. בְּהֵמוֹת autem, quod pluralis numeri est, generisque feminini nomen *elephantis* esse, de quo tota pericopa singulariter, inque genere masculino loquitur, (e. g. יאכל) veri dissimile, nec ulla linguarum Orientalium elephantem בהמות vocat. Mihi ergo videtur בהמות *jumenta* vertendum, (sic LXX θηρία Chald. בעיריא) *en jumenta, quae feci ut tecum versentur*, et post עמך nomen elephantis, forte פיל, excidisse. Vide bibl. Or. T. VIII. p. 221. 222.

A בהמות, M pro B more Arabum posito, manasse creditur nomen naturae itinerumque scriptoribus frequens, *ossa Mammuth* (Mammuths-Knochen) quo ingentia ossa magnae belluae, elephantis aliarumque, in Sibiria et Tataria frequenter ex terra effossa, vocantur. Late per eas regiones, quae Indiae et Persiae a septentrione sunt, christiana medio aevo ecclesia floruit, Syris doctoribus et Syriacis literis usa: hi quidem potuerint: belluae ignotae, cujus ossa ibi effodiuntur, nomen Behemoth, in Syriaca versione Job. XL, 15. servatum, ܒܗܡܘܬ, indere. Nec tamen res certa, qui enim αὐτόπται de his retulerunt ossibus,

nomen

nomen esse Scythicum dicunt, et significare, belluam *sub terra habitantem*, qualis ex fabulis aut traditione incolarum haec ignota nobis bellua fuit.

בֹּהֶן *pollex*. Exod. XXIX, 20. &c. Jud. I, 6. 7.

Intelligo quidem, ut solent, *pollicem*, monendos tamen lectores existimo, non tam unanimes in hac versione veteres esse, quam recentiores. Nempe

1) *pollicem* habent Exod. XXIX, 20. &c. Chaldaeus et Samaritanus, (אליון, q. d. *crassum carnosumve digitum* ab ألي) Vulgata, Arabs uterque, Jud. I, 6. 7. Arabs, ac forte Aquila, vocabulo rariore ἀντιδάκτυλος usus.

Solet eodem et Syrus referri, utrobique ܟܘܼܪܵܐ ponens: sed hoc in incertis, 1 Reg. XII, 10. enim ܟܘܪܐ pro minimo digito ponere videtur, qui a ܟܪܐ *curtus fuit*, recte dici poterat, aeque ut pollex reliquis digitis brevior.

2) Contra ἄκρα, *extremitates* manuum pedumque, utrobique habent LXX, quod male ex Hebraici vocabuli significatione pro certa sumta, nulloque exemplo, pollicem vertere Bielius in lexico ausus est. Sic et Jud. I. Vulg. *summitates*, ac multo et clarius et saevius Chald. קרסלין *talos manuum pedumque*, ut manus pedesque ad talos usque amputatae sint.

Reliquae linguae Orientales cum nomen non habeant, difficilis videri optio possit: sed succurrit Arabica, mutato modo N in M *pollicem* بُهْم et إبْهَام vocans, quo et nomine utrobique Arabici interpretes usi. Adde, si manus regibus captivis usque ad talos abscissae fuissent, non potuisse illos panem sub mensa colligere. Jud. I, 7.

בֹּהַק Levit. XIII, 39.

Ex ipso Mose liquet, *maculas albas in cute esse, sed languidas, pro lepra non habendas.* Nomen adhuc et rem in Arabia superesse do-

cuit Niebuhrius, esse autem has papulas innocentes, sulphuri cedere, atque etiam sponte evanescere. Vide quae ille copiosius de morbo exposuit, quorum ope Moses egregie illustrabitur, descripta in jure Mosaico T. IV. §. 210. n. 6. Non a splendore dictae sunt, ut aliqui confinxerunt, teste enim et Mose et Niebuhrio, minime splendent, sed ab albedine: Syris ܐܒܗܩ *albus fuit*, quod et de albedine leprosi ponunt, ut Barhebraeus de Abgaro, quem vult *nigrum* per antiphrasin dictum fuisse, quod totum corpus ejus ܦܓܪܗ ܗܘܐ ܡܒܗܩ ܒܓܪܒܐ *lepra album esset.*

בּוֹא *intrare.*

Copiose et recte dictis a Coccejo haec pauca addo

1) eam, quam secundo loco posuit, *intrandi*, significationem, primam videri, ab eaque *venire* dictum. Sic exigere videtur frequens oppositio verborum בא et יצא. Aethiopibus quoque est, *intrare:* quin et Arabibus, ubi de ingressu in hospitium, morte, ac sepultura ponitur.

2) in phrasi, בא השמש *occidit sol*, proprie esse, *in hospitium ingressus est*, ac forte aliquando et de ingressu in lectum conjugalem ad Thetidem aliquam cogitatum fuisse, collato Ps. XIX, 6.

בא אל אשה *ingressus est feminam*, de viro positum coitum significare, in vulgus notum. Addendum

3) בא de sponsa positum, *deduci domum mariti.* Jos. XV, 18. Jud. I, 14. Sic et Dan. XI, 6. *filia regis Austri* תבוא *deducetur ad illum, thalamum intrabit.* Maxime hoc facit ad sequens eodem in versu ומביאה (sic enim, ut olim svadente vel potius cogente historia singulariter pro plurali ומביאיה legendum conjeceram, quindecim codices Kennicotti exhibent): מביאה *intrare faciens eam, maritus* est, *qui eam domum deduxit*, seu, ut Latini brevius dicerent, *ducens eam.*

4)

4) בּוֹא de populis integris positum, cum ב constructum, esse, *matrimonia mutua contrahere*, Jos. XXIII, 7. 12. Quod tamen

5) non transferendum, ut Judaei eorumque sequaces fecerunt, ad בא בקהל יהוה Deuteron. XXIII, 2. 3. 4. 9.: castratos enim, et vero quibus totum membrum abscissum, quis sanus legislator jure connubii cum Israeliticis feminis exsuat, omnino connubio ineptos? Est potius ibi, *jura civitatis adipisci.*

מָבוֹא *hospitium, locus adaquationis.*

Arabibus بَاءَة, بِيئَة, مَبَاءَة et مُبَوَّأ *hospitium, mansio* sunt. Tebrizius, explicaturus locum poetae, qui بَوَّأ de sepultura ponit, بَوَّأته اي انزلته والمبوّاء المنزل *intrare feci, i. e. in hospitium deduxi eum*, مَبَوّا *enim est hospitium.* Hinc explico, mutatis punctis, consvetam lectionem Genes. XXIV, 62. *Isaacus* בא מָבוֹא באר *venerat ad hospitium fontis viventis videntis*: nempe sciendum hospitia nocturna (منازل) et pastorum et iter facientium, loca ad fontes esse, raros in deserto, ubi adaquare jumenta possunt: tale jam hospitium fons viventis. Constructionem nostrae simillimam verbi בוא cum nomine hospitii (sed aliter accepto, habes in Corano Sur. X, 93. بَوَّأنَا بَنِي اسراءل مُبَوَّأ صِدقٍ *intrare fecimus filios Israelis in verum hospitium*, (Palaestinam). Vide bibl. Or. T. IX. p. 192. 193.

בוז *contemnere.*

Non radix vera, sed a בזה, *sprevit, contemsit*, ortum verbum, cujus et constructionem cum ל servat. Nempe بَزي est *superbire*, (forte a tumore) hinc בזה ל *superbivit illi*, vel, ut construunt Arabes, *contra illum* (على) *contemnere.* Uni tamen loco, Proverb. VI, 30. contemnendi significatio vix satis apta videtur: Coccejus ergo ibi mallet, *ignomi-*

ignominia non adficiunt furem, quae conjectura mihi non satisfacit, primo, quod omnino furem ignominia adficere solemus, deinde quod non est apta oppositio ad *iram implacabilem*, *vindictaeque studium* versus 34. — — LXX, eorumque in Proverbiis asseclae, Syrus, Chaldaeus, Arabs, οὐ θαυμαστὸν, *mirandum non esse, furari furem fame stimulante:* ex mera illi conjectura, cui nulla fert Orientalium linguarum suppetias. Quid si *contemnere* hic sit, *non magni facere injuriam, eam non punire?* Vide versionem nostram germanicam.

בּוּל Jes. XLIV, 19. Job. XL, 20. (15)

In loco quidem Jobi nulla explicatio succurrit consveta melior, quae pro יְבוּל *proventus* positum existimat, praeeuntibus Chaldaeo et Vulgata. At Jes. XLIV. vix satis apta significatio videtur, nec enim proventum seu fructum arboris adorabant. *Truncum ligni* vertit Vulgata, Syrus ܦܬܟܪܐ *idolum*; ad rem quidem apte, sed nulla orientalium linguarum facem praeferente: LXX cum vocabulum non intelligerent, pronomen αὐτῷ substituerunt.

Mihi quidem in mentem venit, esse בָּל Chaldaeorum, Dan. VI, 12. ܒܠܐ Syrorum, بَال Arabum, *mentem*, *animam*. Arabibus quidem بال *cor*, *anima*, Syrusque permultis locis Hebr. לב ubi *animum* significat, ܒܠܐ reddidit, ut Exod. VII, 23. IX, 21. 1 Sam. IV, 20. 2 Sam. XIII, 20. XIX, 19. Sic erit, contemtim dictum, *animam ligni*, vel, *mentem ligneam* adorabo, i. e. lignum mente carens, ac si mentem haberet, Deusque esset. — — Codex quidem 76 hic לב עץ *cor ligni* habet, incertum, utrum ex compendio scriptionis illi solito, an ex scholio, quod בול per לב interpretabatur.

בּוּל *mensis octavus*, *Novemb.* 1 Reg. VI, 38.

Novembri nostro, quatenus in mensibus lunaribus fieri potest, respondet: (vide commentationem de mensibus Hebr. §. IX.): nomen

habet

habet a בלל *fundere*, quod Novembri pluviae in Palaestina incipiunt; quod enim Chaldaeus, ad יבול referens, מיסף אבביא *collectionem frugum* vertit, Novembri non aptum.

בוץ *byssus*, i. e. *linum xylinum*.

Synonyma sunt שש et בוץ, sed illud, Aegyptium lini xylini nomen, antiquum, atque a Mose usurpatum, hoc, ante exsilium Babylonicum non obvium, primus quippe eo usus Ezechiel, qui ipse in exsilio scripsit. Phoenicium nomen puto, cumque merce ipsa ad Graecos migrasse. Ab albedine dictam byssum arbitror, collato Arabico أَبْيَض *albus*, *candidus*. Vide Forsteri (sed qui Aegyptium putat) librum de bysso, et nostram bibliothecam Orient. T. X. p. 183-185.

בוק cum derivato בוקה *repentinum malum*.

Verbum בוק sunt, qui omittunt, atque sub בקק quaeri jubent, aut, qui idem cum בקק significare statuunt, ex frequente verborum med. rad. geminatae et med. rad. Vau quiescentis permutatione. His lubens concedo,

1) pleraque loca, quae pro בוק citantur, dubia esse, ut Jes. XXIV, 1. 3. (ubi ipse quidem in versione germanica בקק praetuli, svadente serie orationis, et versus primi ipsa constructione, sequens enim בלקה est participium, unde et בוקק participium existimandum videtur.)

2) fieri posse, ut utrumque verbum idem sit natalibus et significatione, atque adeo

3) veteres hanc sententiam praeivisse, LXX enim, Chaldaeus, et Vulgata, Nahum. II, 3. 11. eodem modo בוק et בקק vertunt.

Arabia tamen, cum בוק (بَاقَ) habeat, eique suam a בקק diversam significationem tribuat, uni loco, in quo sine dubio deriva-

ta verbi בוק occurrunt, Nahum. II, 11. aptissimam, nullam caussam video, cur non haec sua et propria significatio sit praeferenda. Arabibus quidem, verbum est, ut docet Golius, *contigit alicui malum*, et transitive, *malo adfecit*, *adortus est ex insidiis*, *circumdedit*, idque hoc sensu, *junctis viribus insultarunt* vel *occiderunt aliquem*, *corrupta fuit res*, *periit*, in quinta, *lethale incidit gregi malum*, indeque بُوقَةٌ *impetus*, et بَائِقَةٌ calamitas.

Jam evolve unicum, quem certum dixi locum, Nah. II, 11. בוקה ומבוקה, aptissima erit significatio, maxime, si mutatis punctis בּוּקָה וּמְבוּקָה efferas, *infortunium post infortunium*, aut, si fortius vocabulum praeplacet, *calamitas post calamitatem:* tanta celeritate adversi casus se insequuntur, ut vitari nequeant, atque sic recte sequitur, *et patefacta* i. e. *capta est urbs.* Compara reliquas veterum versiones, LXX. ἐκτιναγμὸς καὶ ἀνατιναγμὸς, Vulg. *dissipata est* (male de urbe dictum) *et scissa*, Syri, *conculcata et dejecta*, (nullo philologiae praesidio) Chaldaei, *direpta est* (quod male ante *captam* urbem ponitur): videbis, eam quam ex Arabia attuli nominis interpretationem praestare.

De Jes. XXIV, 3. הִבּוֹק תִּבּוֹק הארץ ambigere me dixi, ad utram radicum referendum sit, maxime cum quatuor codices Kennicottiani sine Vau habeant, הבק תבק. Nec tamen vel huic loco inepta infortunii significatio, licet altera *evacuandi* (בקק) aptior: fueruntque ex veteribus, qui ita acciperent, LXX. φθορᾷ φθαρήσεται, et Syrus, ܡܬܚܒܠܘ ܬܬܚܒܠ ܐܪܥܐ *perdendo perdetur terra.*

Possit etiam si velis mutatis punctis huc referri Jes. XIX, 3. וְנָבְקָה רוּחַ מִצְרַיִם. Arabibus بوق inter alia est, dissidium attulit; posses ergo vertere, *dissidebit spiritus Aegypti in medio ejus*, quod historiae egregie concinit, unde et in versione germanica praetuli. Vide no-

tas

tas ad Jes. XIX, 1. Locus tamen non certus, triplicem pro triplici punctatione sententiam admittens.

בוש *arescere, obmutescere, pudefieri, morari.*

Verbo בוש *pudoris*, יבש *siccitatis* significationem tribuere lexicographi solent, recte quidem, frequentiorem usum si spectes, re tamen ipsa et natalibus utrumque verbum idem, ut saepe verba primae rad. Jod et mediae rad. Vau quiescentis. Insigni argumento est conjugatio Hiphil, quae a בוש facit, הוביש *pudefacere*, 2 Sam. XIX, 6. Jerem. II, 26. VI, 15. VIII, 9. &c. &c. quin et Arabibus membrum pudendum يَبَّاسٌ dicitur.

Ex consveta lectione בוש etiam in Kal pro, *arescere, exsiccari* ponitur, Hos. XIII, 15. וְיֵבוֹשׁ מְקוֹרוֹ *exarescet scaturigo ejus:* exemplum tamen non plane certum, octodecim codicibus Kennicottianis ויבש habentibus, quod possit ut ipsa radix וְיָבֵשׁ efferri.

Arabibus يبس in quarta conjugatione inter alia est, ut ita dicam, exarescere fecit verba, (aruerunt ei verba, defecit ei oratio) i. e. *tacuit, verbum nullum fecit.* A silentio dicitur pudor, proprie attonitus ille, qui haeret, nec verbum respondere potest: Syris בוש est ܒܗܬ, quod ipsum verbum, Arabibus quoque usitatum, بَهَتَ, interpretantur Arabum lexicographi, *attonitus, mente turbatus fuit, obstupuit*, et بُهْتٌ *stupor.* Matth. VII, 28. et Marc. I, 27. οἱ ὄχλοι, بهت الجمع *obstupuerunt omnes.* Sur. II, 260. disputatori contra fidem verba facienti responderat Abrahamus, *Deus solem ab Oriente oriri facit, fac tu illum oriri ab Occidente,* فَبُهِتَ الذي كفر *et obmutuit, qui veritatem negabat.* Hinc jam et liquet, quomodo ad *pudoris* notionem devenerint Hebraei, non ab erubescendo, sed ob-

mutescendo, dicti: nec בוש modo, sed et Hiphil הוביש, *pudefactus est*, significet, aliis male subintelligentibus *SESE* (*pudefecit*): denique quam bene et apte Vulgata בוש multoties vertat, *confundi*. Sed quod potissimum est, lucem hinc accipit locus obscurior, Jud. III, 25. *exspectarunt* עד בוש *usque dum animo perturbarentur*, i. e. suspecta illis res videretur, ubi non pudorem, sed ἀπορίαν denotat: itemque, 2 Reg. II, 17. *urgebant illud* עד בש, *donec non amplius obloqueretur*, seu, ut bene vertit Vulgata, *donec adquiesceret*.

Exod. XXXII, 1. Jud. V, 28. בשש sine dubio est, *morari*, *tardari*. Volunt moram dictam, quod *pudefaciat* exspectantes: ego mallem, sive a *stupore*, sive, a silentio pro *quiete* posito. Syris quidem ܟܘܫܐ, omissum lexicographis vocabulum, *quies*, chrestomath. pag. 98.

בשת *idolum*, *Baal*.

Pro Baale in nominibus propriis, ut ירבעל et ירבשת, אישבעל et אישבשת, מפיבעל et מפיבשת poni solet. Etymon se duplex offert, *pudendum* idolum, et *mutum* idolum, incerto, utrum praeferendum.

בוא Jes. XVIII, 2. 7.

Varias explicationes lexicographorum et interpretum, collegi, in adpend. T. XIV. biblioth. Or. p. 27-29. quae omnes cum alliterationibus nitantur, suspectam mihi radicem ostendi, mutatisque punctis legendum videri בְּזֹאר. Vide ergo quae sub זאר adferam.

בָּזָק Ezech. I, 14. *sparsio*.

Vocabulum obscurissimum, quod male descriptum suspicari possis. *Fulmen* satis constanter vertunt, Chald. Aquila, Symmachus, Vulg. Arabs. Sic quidem הברק legendum videretur, verum Hebraeis ר et ז literae non sint ita figura similes, ut permutari a librariis possint: certum

certum praeterea, Symmachum jam per Zain legisse, ignotum vocabulum graecis literis scribentem, ὡς εἶδος τοῦ Βεζεκ. Hieronymus in onomastico, (T. II. p. 154.) habet, *Adonibezek*, *dominus fulminis*: sed id ex hoc ipso Ezechielis loco sumtum. Syrus pene harmonice, sed una litera minus, habet ܐܝܟ ܚܙܘܐ ܕܒܙܩܐ *ut adspectus facis*, forte et ipse fulmen intelligens, Sap. V, 22. enim ܒܙܩܐ *facem*, posuit, ubi in Graecis fulmina memorantur. Quaeri ergo possit, nostrumne בזק falsum, atque ex duplici lectione זק *fax*, et ברק *fulmen* a librariis conflatum sit: nisi melius quid suppeteret.

Rabbini, ut ex Raschio discimus, *dispergendi* vim olim nomini aptabant: in quo illos non possum non laudare, habet enim eam omnino apud Syros, quibus ܒܙܩ *dispersit*, et ܒܙܩܐ *frustum* est, atque apud Thalmudicos, de quibus vide Buxtorfium col 283. 284. Quin et Arabibus بزق est *spargere*, e. g. *semen in agrum*. Haud vero bene hanc significationem loco Ezechielis aptabant: volebant enim כמראה הבזק esse, *ut cum quis faeces seu rejectanea olivarum in catinum spargit*, *quae facile flammam concipiunt diduntque ascendentem et descendentem*.

Mihi quidem ex hoc ipso verbo Syriaco, Arabico, Thalmudico, בזק est, *sparsio*, *quae nullo ordine fieri videtur*, hac totius commatis sententia: *animalia autem ultro citroque currebant*, *nulla certa lege*, *ut adspectum praeberent rei sine consilio sparsae*. — — In fulminis autem notione si manere statutum sit, erunt *fulmina passim nullo ordine sparsa seque intercipientia*.

בָּחַל *avarus fuit*, *fastidivit*.

بَخِلَ Arabibus, *avarus fuit*, ut ex Golio notum. Vide exempla in Corano Sur. III, 175. 176. IX, 77. (ubi et habes constructio-

nem cum Be, بَخِلُوا بِهِ). Proprie est, *prohibere* ab alio, Genes. XXIII, 6. quod notandum ad constructionem Sur. XLVII, 40. وَمَنْ يَبْخَلْ وَإِنَّمَا يَبْخَلُ عَنْ نَفْسِهِ *qui avarus est* in erogandis pro via dei opibus, *prohibet a se ipso*, nempe lucrum inde futurum.

Ex hac avaritiae significatione lucet Cthib Proverb. XX, 21. *haereditas* מְבֻחֶלֶת *sordida avaritia collecta in fine non benedicta est.* At alteri loco, Zachar. XI, 8. significatio ita inepta, ut malles, modo per codices liceret, particulam negandi praemittere, *anima illorum me fastidiebat;* וגם נפשי (לא) בחלה בי *atque etiam anima mea* (neutiquam) *tenax fuit illorum:* solent enim Arabes بخل et de his quos valde amamus ponere, ut in Proverbio, اولاد مُبْخَلَة مجبونة *sobolis avari sunt, et pro ea soliciti.* Contra, quae a recentioribus recepta est, significatio *fastidiendi*, ita loco apta, ut salvam cupiam, licet solus eam ex veteribus Chaldaeus praeiverit. De lectione adeo dubitavi, venitque in mentem, בעלה *fastidivit*, בהלה *neglexit* (Arab. بهل), sed nihil in codicibus Kennicottianis varietatis. In Syriaca quidem lingua ܒܚܝܠܐ esse dicitur, *nauseans, stomachi fastidio laborans:* velim verum esse, sed Ferrarii, quem solum testem citat Castellus nullo addito exemplo, auctoritati timeo; maxime cum hoc ipso in loco Syrus non modo ܒܚܠ non ponat, sed ne intellexisse quidem verbum Hebraicum videatur, quod vertit, *latrarunt contra me.* Donec ergo verbi Syriaci exempla adferantur, iterum ad Arabiam confugio, cui بَحْكَل est, *valide impellere:* a propellendo et repellendo fastidium dici potuerit, quod ipse membrorum parallelismus requirit.

בָּחִיל *avarus, tenax.*

Ex varia lectione occurrit Job. XX, 18. ubi pro כחיל XIII codices Kennicottiani, (forte et duo alii dubii) בחיל habent. בָּחִיל efferendum censeo, idemque significare quod Arabicum بخيل *avarus, tenax: avarus est* cupidusque *mercaturae suae*, sed *non gustabit eam.*

בָּחוֹן *explorator metalli* Jerem. VI, 27.

Ante omnia notandus error recentiorum (*) tantum non omnium, qui hoc et sequentia nomina בָּחוֹן, בַּחַן *speculam* aut *speculatorem* vertunt, non usu aliquo linguae, sed ex etymo male intellecto. Verbum בחן est, *explorare*, verum non eminus atque ex specula, sed *explorare et probare metalla*: at latinae linguae ambiguitas, latius *explorandi* verbo utentis, fraudi fuit viris, quod mirere, doctissimis.

Pejus tamen his Venema *lapidem Lydium* intellexit, mira imaginum compositione: *dedi te lapidem Lydium in populo meo, in munimento praefecto.*

Mihi quidem בָּחוֹן est, *explorator metalli*, ut jam antiqui verterunt, LXX. δοκιμαστὴν, Vulg. *probatorem*, Syr. ܒܚܘܿܢܳܐ. De מִבְצָר, ne illud meae explicationi opponas, vide infra sub rad. בצר. Effero illud מְבַצֵּר *spectator, explorator.*

בַּחַן Jes. XXIII, 13. *mansio Nomadum.*

Veteres ita in vertendo discordes, ut quem sequare non adpareat: LXX omittunt, Chaldaeus חזותא, quod *speculas* interpretantur, Theo-

(*) Veterum plerisque haec significatio incognita, nisi quod pro ea citari possit Chaldaeus, Jes. XXIII, 13. חֲזוּתְהָא vertens, quod volunt *speculas* esse. Ipsum hoc vocabulum dubium, nusquam alibi pro specula, sed aliis significationibus positum. Vide illud in Buxtorfii lex. Munimentum, castellum, plures vertunt, sed castellum ac specula non sunt idem.

Theodotion ἐπάλξεις, (*munimenta*) Vulg. *robuſtos*, Syrus, *exploratores*. Hoc quidem etymo, non filo orationis aptum.

Licetne in ſubſidium vocare, quod ad ſequens vocabulum conferendum omnino videtur, بَحْنَةٌ *manſio Arabum campeſtrium* (Beduinorum) a بَحْوُن *arena accumulata*. Sic ſententia: Aſſyriae reges *conſiſtere fecerunt Nomadum caſtra*, i. e. populo vago ante et erratico ſtabiles ſedes urbesque dederunt. Sequutus hoc ſum in verſione germanica.

בַּחַן *Nomadum ſtatio*. Jeſ. XXXII, 14.

Hic vero major etiam diſcordia, ut certum ſit veteres aut aliter legiſſe, aut ignotum vocabulum conjecturis tentaſſe. *Vicos* LXX interpretantur (forte חָצֵר legentes), *perveſtigata* Chaldaeus, *pulcherrima aedificia* Syrus, *palpitationem* Vulgata, Judaei Hieronymi tempore nomen proprium eſſe turris alicujus Hieroſolymitanae fingebant.

Omnia clara, ea ſignificatione ſumta, quam ad praecedens vocabulum attuli: urbs quae olim fuerat nunc erit *clivus et Nomadum nocturna manſio*.

בחר *adſpexit*, *obſtupuit*, *elegit*, *exploravit metalla* &c.

Eligendi ſignificatio, verbo uſitatiſſima, certa et omnibus nota: ſed ne conſtructionis quidem rationem reddere licet, niſi ſcias, unde illa fluxerit.

Syris ܒܚܪ eſt, *videre*, ſed ἐμφατικωτέρως ſumtum, *ſpectare, perſpicere, recte videre:* e. g. Act. XXVIII, 26. βλέποντες βλέψητε, καὶ οὐ μὴ ἴδητε, ܬܚܙܘܢ ܘܠܐ ܬܒܚܪܘܢ Matth. VII, 3. *cur autem vides* (ܚܙܐ ܐܢܬ, Gr. βλέπεις) *feſtucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo* ܠܐ ܒܚܪ ܐܢܬ *non animadvertis* Gr. οὐ κατανοεῖς. Hinc Arabibus بَحِرَ *attonitus fuit*, *ſtupuit*, ſive terrore, ſive laetitia:

fere

fere ut Graecis θαυμάζειν primo est adspicere, a θεάομαι, deinde mirari. Ab admiratione, et intuitu in uno haerente, Hebraeis est, *eligere*, unde et explicanda constructio cum Beth, בחר בו proprie, *stupuit in eo*, aliquando et cum על, ut Job. XXXVI, 21. כי על זה בחרת מעני *hoc enim* (peccatum) *praefers miseriae.*

Caeterum et ipsis his significationibus in Hebraico codice occurrit, ut

1) *videre, dispicere*, Job. XXXIV, 3. *jus* נבחרה לנו *dispiciamus nobis*, cujus loco in sequente membro est, נדעה בינינו.

2) *Spectare* ad metalla quoque transferri potest, ut in Ovidiano illo, *fulvum spectatur in ignibus aurum:* quod quidem Syris in verbo ܒܚܪ usitatissimum. 1 Petr. I, 7. ubi fides auro in igne probato comparatur, ܒܘܚܪܢܐ ܕܗܝܡܢܘܬܟܘܢ δοκίμιον τῆς πίστεως ὑμῶν: IV, 12. τῇ πυρώσει πρὸς πειρασμὸν ὑμῖν γενομένῃ, sed inverso verborum ordine, ܒܢܣܝܘܢܐ ܕܗܘܐ ܠܟܘܢ ܡܛܠ ܕܠܒܘܚܪܢܟܘܢ ܗܘ ܗܘܐ. Hinc pro בחן ponere Syrus interpres solet, ut Job. XXIII, 10. ܒܚܪܢܝ ܐܝܟ ܕܗܒܐ *exploravit me ut aurum*, ubi et verbum retinuit Arabs, يبحرني مثل الذهب – – Sic jam manifeste ponitur in Hebraicis, Jes. XLVIII, 10. בחרתיך בכור עני non, ut Coccejus volebat, argutias admiscens, elegi, sed, *exploravi te in catino miseriae.*

Jam et intelliges, quid spectantes LXX. אל תבחר בכל דרכיו Prov. III, 31. verterint, μηδὲ ζηλώσῃ τὰς ὁδοὺς αὐτοῦ. Quibus aliquid pulcrum et magnum videtur, hi illi adstupent, intentisque oculis observant, invidentes alienae felicitati.

בטא et בטה *inconsideranter egit, vel loquutus est.*

De telis, sine mente per lusum sparsis Proverb. XII, 18. de verbis imprudenter effusis Lev. V, 4. Ps. CVI, 33. ponitur, sine varietate lectio-

lectionis Levit. 5. et Pſ. 106. per Aleph, Prov. 12. per He ſcriptum. Arabibus utroque modo ſcriptum, بَطَّأَ et بَطَّا pro بطو *tarditatem* et *moram* indicat: ſuſpicor ergo, a *ſegnitie* et *ſocordia* Hebraeis incogitantiam dictam eſſe.

בטח *confiſus eſt.*

Conſtrui ſolet cum ב et על, unde ſtatuerunt, ex prima vi verbi eſſe, *inniti:* hoc vero conjecturale, nec linguarum cognatarum uſu ſtabilitum. Arabibus potius (Syri enim verbo carent) بطح eſt, *conjecit in faciem, pronum*, (unde et Deut. XXV, 2. de eo, qui verberandus humi proſternitur, pro הִפִּיל ponitur) item *reſupinum proſtravit*, unde بَطِيح *reſupinus*. Ergo בטח ביהוה potius ex etymo erit, ſive, *conjecit in Deum res curasque ſuas*; ſive intranſitive aut paſſive accepto verbo, *conjectus eſt in Deum, reſupinus ſecurusque Deo incubuit.*

Unicus locus eſt, cui conſveta verbi ſignificatio vix ſatis apta videtur, Jerem. XII, 5. *ſi in terra pacata* אתה בוטח *confidis, i. e. bono animo es:* praecedentis enim membri analogia alia omnia poſcere videbatur, ut vel Clerico in mentem venerit, mutare lectionem, לא בוטח *non confidis*, quam conjecturam nullus nec codex firmat nec verſio antiqua. Forte alia verbi interpretatione ſuccurrere poſſis, illo in prima ſignificatione accepto: *in terra pacata ſi proſterneris*, i. e. *laberis, cadis:* nec tamen auſus ſum, in verſione Germanica eam ſequi.

בַּטֻּחוֹת *valles.* Job. XII, 6.

Ἅπαξ λεγόμενον, quod plerique fiduciam interpretantur, ego malim, *valles*, in quibus Nomades caſtra habent, ob parallelismum praecedentis membri. Nempe a *jacendo*, بَطْحٌ, بَطِحَةٌ plur. بِطَاحٌ *valles* ſunt, illae maxime, in quibus pluviae tempore aqua ſtagnat,

ſtagnat, idemque et بَطِيحَة plur. بَطَائِح et بطحاء, non paludes modo, ſed et valles ſignificans, e. g. in carmine Gafiri p. 48. chreſtomathiae: *in illos directus mucro gladii mei*, يوم بطحاء سحبل *die praelii in valle Sachbil.*

אֲבַטִּחִים *melones*, *melopepones* Num. XI, 5.

Vide omnino Celſium P. I. hierobotanici p. 356-383. copioſius reliquis de hoc vocabulo agentem. Tredecim codices Hebr. plene ſcribunt אבטיחים, Samaritani quatuor, Aleph omiſſo, בטחים, ut Arabes بطيخ dicunt.

Caeterum unum adhuc in Celſio deſidero, quod *Batticas Aegypti* non ex teſtibus deſcripſit; videtur enim eas a melonibus diſtinguere, qui ipſe Aegyptum adiit Wanslebius, p. 38. diarii germanici, quod manuſcriptum habet bibliotheca noſtra academica: *Aegypten hat —— herrliche Battiche, im Italiäniſchen cucumeri genannt, mancherley Art und Geſchmaks, Melonen, Gurken* &c. Hunc defectum utinam aliquis in Aegypto degens ſarciat!

Fuerunt, qui nomen a بطح ductum putarent, quod melones humi jaceant: id quidem Celſio p. 361. magnopere diſplicuit, quod verbum per ح, melonum nomen بطيخ per خ ſcribatur, mihi tamen etymon veriſimile videri non diffiteor, haud raro enim verba per ح et خ ſcripta idem Arabibus ſignificant. Reliqua, a *ſecuritate* et innoxio eſu ducta etyma, quae p. 359. refutavit, prorſus abdicanda.

בָּטְנִים Geneſ. XLIII, 10. *piſtacia.*

Ex reliquis interpretationibus veriſimillima, quam ut certam ſumunt, ornantque, Bochartus in geogr. S. P. II. libr. I. cap. 10. et Celſius in hierobot. T. I. p. 24-27. *piſtacia* intelligentes. Argumenta adferunt, primo, piſtacia in dotibus fuiſſe Palaeſtinae, deinde veterum

non paucos, ita vertere, qui si unanimes essent, dubitare desineremus: at cum discordes videantur, nominisque בטנים significatio ex Orientalium dialectorum nulla confirmetur, sub his radicalibus arboris nomen non habentium, minus quidem adhuc sententia certa, quam et his visa est duumviris eorumque asseclis. Sed forte ipsa nos ad verum deducet dubitatio.

Ergo Celsius pro pistaciis citat, (ut recentiores omittam, impedimento potius quam adjumento futuros, Anglum, Persam, latinam versionem versionis Syriacae in Polygl. nullius illam pretii)

1) Samaritanum interpretem,

2) Arabem Samaritanorum,

3) Arabem Erpenii, مستق habentem, quod per conjecturam mutat in فستق: Ego mallem, pro بستق positum, B more Arabum ut M adpellato.

At hae auctoritates valde videntur laborare, si illis opponas, qui *terebinthum* i. e. terebinthi nuces intellexerunt, 1) LXX. 2) Vulgatam et Hieronymum 3) Syrum 4) Arabem Polygl. Hi vero mihi in ea fuisse videntur sententia, בטן Hebraeis idem esse, quod Chaldaeis, Syris Arabibus בוטמא, ܒܛܡܬܐ, بُطْم, *terebinthus*, M et N permutato. (Vide p. 157. de בחן).

Jam tentemus inter utrosque concordiam. Arbor pistacia efferens, (latino enim nomine caret) ipsa ad terebinthorum genus refertur: quid si ergo et hi de pistaciis cogitarint, sitque בטנים et בוטמא ex uno stemmate, ita tamen significationibus divisis, ut Hebraei, qui suum terebintho ac proprium nomen אילה habent, בטנים de solis usurparint pistaciis, fructu? — — Sic quidem peribit Bochartianum etymon, a בֶּטֶן, *ventre*, qui tribui pistaciis possit. Quaerere vero liceat, quibus nucibus venter tribui nequeat, ut ab illo solo pistacia dicantur?

בינה

בִּיָּנָה *declaratio oraculum.*

Sic punctandum suspicor Dan. IX, 22. non בִּינָה quod nimis languet otiaturque. בִּיָּנָה erit idem quod frequentissimum Arabibus بَيِّنَة *distincta declaratio*, centies centiesque in Corano de oraculis divinis obvium. Sic vertes: *intelligere me fecit declarationem*, i. e. clarum mihi attulit oraculum. Vide et Dan. X, 1.

בִּיָּה *solatus est.*

Verbum in codice masorethico, ut punctis instructus est, non occurrit: at suspicor, Ps. LXVIII, 5. Jes. XXVI, 4. ita pro בְּיָהּ legendum; ב enim praefixum aut plane otiosum ineptumque est, (unde et critici ei in Jesaia dicam scripserunt) aut est ב essentiae Arabum, rarissimo exemplo ante subjectum positum, et quidem bis ante solum nomen יָהּ, nullumque praeterea. Vide bibliothecam Orientalem T. XII. p. 165-167. grammaticamque Arabicam p. 221. editionis secundae. בִּיָּה idem erit, quod Syriacum ܒܝܐ solatus est, quo in verbo paucisque aliis Olaph gutturale esse, atque He Mappicato Hebraeorum respondere docent grammatici. Apta utrique loco significatio, Ps. 68. *solatio est nomen ejus, exsultate coram illo*, et Jes. 26. *solatio est Jehova, petra aeterna.*

בית, *urbs, regio.*

Syriacum ܒܝܬ 1) *urbem* significat, nominibusque urbium praeponitur. *Artagera*, alias ܐܪܕܫܝܪ vel ܗܪܡܙܕܫܝܪ pag. 8. chrestom. Syr. ܒܝܬ ܗܪܡܙܕܫܝܪ — — metropolis Huzistanae ܠܦܛ plerumque ܒܝܬ ܠܦܛ &c. &c. 2) *regionem*, ut, *adventus Hunnorum* ܠܒܝܬ ܪܗܘܡܝܐ *in ditionem Romanorum.* Assem. bibl. Or. T. I. p. 169. ܒܝܬ ܦܪܣܝܐ *ditio Persarum.* Hoc sensu et nominibus regio-

regionum praeponitur, e. g. ܒܝܬ ܗܘܙܝܐ *regio Ahvaz*, ܒܝܬ ܓܪܡܝ *regio Garmaea*, (interior Assyriae).

Utrumque et in Hebraismum receptum (licet rarius) ubi de regionibus urbibusve Syrorum et Assyriorum sermo. Arbela, (urbs an regio incertum) Hos. X, 14. בֵּית אַרְבֵאל, regio Eden in Syria Amos I, 5. בֵּית עֶדֶן. Idem et fit in libro Chaldaizante Nehem. XII, 29. ubi de regione Palaestinae sermo, מִבֵּית הַגִּלְגָּל וּמִשְּׂדוֹת גֶּבַע *ex regione Gilgalae, agrisque Geba.*

בּוּת cum derivatis בֵּיתָן et בָּתָה.

Verbum בּוּת, *pernoctavit*, denominativum a בַּיִת, quod noctem domi agere solemus, Chaldaeis, Syris, Arabibus usitatum, בָּת, ܒܬ, بَاتَ, in Hebraico quidem codice non occurrit, at nomina ex illo orta habere videtur:

1) בָּתָה Jes. V, 6. *locus pernoctationis*, i. e. in quo greges pernoctant. Sic et Chaldaeis Syrisque מְבָתָא et ܡܒܬܐ *nocturnum est hospitium.* Eodem et retulerim Jes. VII, 19. ita ut בְּנַחֲלֵי הַבַּתּוֹת sint, *valles in quibus greges pernoctant*, in his enim maxima muscarum copia esse solet. Cum tamen ibi בַּתּוֹת a Judaeis punctatum et ad בתת relatum sit, de בַּתּוֹת etiam infra agam.

2) Job. XXXVIII, 20. de luce, i. e. sole, dicitur: *nostine viam* בֵּיתוֹ *domus ejus.* Hicne potius vertendum, *hospitii nocturni ejus.* Vide supra sub בּוֹא p. 158. dicta.

בִּיתָן Esth. I, 5. VII, 7. 8.

Obscurum vocabulum, de quo, donec accesserit linguarum cognatarum usus, vix certi quid statuere licet. Syrus harmonice habet, ܒܝܬܘܢ, quod ex analogia linguae est, *palatium minus*: i. e. interius aliquod palatium hortis circumdatum (semper enim praecedit גִּנַּת) in

in quo rex habitabat. Sic eodem deventum, quo alios deduxit derivatio a verbo בת, بات *pernoctavit.* N. L.

בָּכָא *Baca Meccana.*

Non est, ut plerique voluerunt, morus, sed frutex, eodem nomine Arabibus بكا, ab Abulfadli memoratus, qui similem بشام i. e. arbori balsamiferae Meccanae tradit, sed foliis longioribus, fructuque majore et rotundiore. Vide Celsii hierob. T. I. p. 335-340. Ejus tamen descriptionem botanicam et imaginem adhuc desideramus: qua utinam ditemur!

בְּכוֹר *primogenitus.*

De hominibus positum nomen proprie solos patrum primogenitos significat, non ut vult Coccejus, matrum: Jacobo certe, qui ex quatuor uxoribus pellicibusque sobolem susceperat, unus modo tribuitur primogenitus. Genes. XLIX, 1. 1 Paral. V, 1. Vide et Deut. XXI, 15-17. et commentationem de censibus Hebr. §. 5. Matrum certe primogeniti apud Hebraeos deo non sacrati fuerunt, (Exod. XIII.) ut vel ex numero primogenitorum Num. III, 43. liquet. Hinc fit, ut nonnunquam addatur פטר רחם, ubi primogenitus ab utroque parente, patre et matre, designandus est, ut Exod. XIII, 1. seqq. Ergo in gente polygama multo pauciores primogeniti, quam apud nos numerari solent: quod notandum ob Num. III, 43. ubi in plusquam 600000 adultis non nisi 22273 sunt primogeniti a natis mensem et supra. Nec tamen dissimulo, solum solvendo dubio vix sufficere, suspicorque insuper solos numerari primogenitos Venerem non expertos, hos qui uxorem duxerant aut ancilla pellice utebantur, non primogenitos filios, sed patres, censos fuisse.

Alia ratio, ubi de primogenito jumenti sermo, ut Exod. XIII, 15. patre plerumque incerto, et primogenito a matre aestimato.

בכור מות *primogenitus mortis*, eſt diriſſimus morbus, elephantiaſis, qua Jobus laborabat, de qua Aretaeus p. 69. *herculeus etiam* morbus *dicitur, quoniam eo nullus major eſt neque fortior.* Monuit jam Schultenſius ſimili phraſi febres Arabibus *filias mortis* (بنات المنية) dici.

בכורי דלים *primogeniti pauperum*, i. e. pauperrimi, Jeſ. XIV, 30. incondita phraſis, a qua Jeſaias mutatis punctis liberandus. Vide bibl. Or. T. XIV. p. 152. et כור.

Hoc et ſequentia nomina orta a verbo بكر quod et *feſtinare* eſt, et *praecedere.* Invenies *praecedendi* ſignificationem in Golio ſub conjugatione quinta: verum et prima ac tertia eam habet, ut Pſ. LXVIII, 26. ubi Arabs polygl. Graecum προέφθασαν, et Maroniticus Syriacum ܩܕܡܘ verterunt, illi بَكَّرَتْ hic باكرت (Male ibi interpres latinus, ex lexico, *praeceſſerunt diluculum*, et, *praevenerunt diluculo*, nullam diluculi mentionem Graeco aut Syriaco textu faciente).

בִּכּוּרוֹת Jerem. XXIV, 2. *primus proventus* (ficuum).

Non niſi ſemel his ſubſtratis vocalibus occurrit, hac conſtructione, תאני הבכרות, *ficus primi proventus*, *Boccora Arabum*, *ficus ſolſtitio matureſcens.* Sciendum autem ter per annum fructus efferre ficum.

1) *Boccoras*, quae medio menſis Junii matureſcunt.

2) *Carmuſas*, ficus aeſtivas, quae matureſcente Boccora naſcuntur, Auguſtoque menſe matureſcunt.

3) *ficus brumales*, matureſcente Carmuſa naſcentes, et hieme, poſt foliorum defluvium matureſcentes, de quibus plura ſub שערים. Vide Shawii itinerarium p. 144. et 342. (verſionis germ. p. 296.)

Caeterum nomen Arabicum Boccora, in itinerariis obvium, omiſſum a lexicographis, (in nova etiam Meninskiani lex. editione)

بكورة

بُكُّورَة scribendum arbitror, unde et mallem Hebraico vocales בְּכֻּרוֹת subjicere.

בִּכּוּרָה

Forte Jes. XXVIII, 4. idem cum priore, *ficus solstitialis*, additur enim, לִפְנֵי קַיִץ *ante aestatem*, quo nomine proprie intelligitur, dimidium posterius Junii, totus Julius, et dimidium Augusti. Nempe ex pomis Palaestinae primum, ficus, possuntque praecoces ficus paulo ante medium Junii maturescere.

בלג, *fulsit*, *subrisit*, *hilaris fuit*.

Copiose de hoc verbo, quinquies lecto, Jerem. VIII, 18. Amos V, 9. Ps. XXXIX, 13. Job. IX, 27. X, 20. egit Schultensius in capite primo libri primi Originum Hebraicarum, conjecturas, id vero est errores, interpretum et lexicographorum narrando refellens, eorumque loco ad Arabicum nos بلج primus recte deducens, antiquis tamen interpretibus hac parte iniquior, quod quae vera atque Arabismo consentanea habebant, repudiavit.

Est ergo بلج cum derivatis, 1) *fulsit*, *splenduit*, *illuxit*, de ortu etiam Aurorae solisque poni solitum 2) *subrisit*, a lucidis oculis et fronte, atque inde 3) *hilaris fuit.* Primam ex his significationem loco Amosi c. V, 9. המבליג שד על עז aptabat Schultensius, vertebatque, *qui effulgere facit, et de subito aurorae instar oriri vastationem super potentem.* In partes irem, nisi pulcrior etiam se offerret explicatio, ab Aquila prodita inque Vulgatam recepta, quam obiter, non satis expensam damnavit Schultensius. Aquila, ὁ μειδιῶν, eumque in Vulgata sequutus Hieronymus, *qui subridet vastitatem super robustum.* Hoc vero ipsum et ex usu Arabicae linguae, et Schultensiana explicatione concinnius atque elegantius: irridet Deus potentiam hominum, subridet, ubi potentes vastantur, castella invicta diruuntur.

Ex tribus ergo Arabicis ſignificationibus verbi duae in codice ſacro occurrunt 1) *ſubriſit* Amos V, 9. 2) *hilaris fuit*, *exhilaravit*, Jerem. VIII, 18. Pſ. XXXIX, 13. Job. IX, 27. X, 20.

בָּלָה *vexavit*, *attrivit*.

בָּלָה *deteri*, atque inde *veteraſcere*, notum, ſed alia ſignificatio verbi, ipſa quoque a terendo orta, *vexare*, lucem obſcuriusculis locis adfundens, lexicographos interpretesque fugit, quam Arabes Chaldaeique habent. Illis quidem, ut jam monuit Golius, بلي inter alia eſt, tranſitive *ingrato ac duriore modo tractavit*, *adflixit*, intranſitive, *metu adfectus fuit* inque octava, *in calamitatem incidit*, *adflictus et tentando probatus fuit*, unde frequentiſſimus verbi uſus in *tentando*. Ejusdem ſignificationis exempla in conjugatione quarta habe, Exod. V, 22. لم ابليت هولاء القوم *quare male feciſti* (הרעותה) *populo huic?* Num. XI, 11. لم ابليت عبدك *cur tam duriter agis* (הרעות) *cum ſervo tuo*. Vide et inſignem Corani locum Sur. LXVIII, 17. ubi de ſumma ponitur ἀπορία incolis horti divinitus immiſſa, qui jurarant, ſe mane hortum exciſuros, quem Deus illis dormientibus ita ſepſit, ut mane eum invenire non poſſent. Hinc et nomen بَلَآءٌ *vexatio*, *infortunium*, ut fab. Locm. 8. *qui fugit timorem parvum incidit* في بلاء عظيم *in infortunium magnum*. 2 Reg. XIV, 10. Syriaca, *ne contende ad malum*, Arabs vertit, لَا تَتَعَرَّضْ إِلَي آلْبَلْوَة *ne occurre infortunio* c. XXI, 12. *venire faciam* بَلْوَة *ſuper Judam*, *quod audientis aures tinnient*. —— Chaldaici uſus exemplum in ipſo Daniele habemus, c. VII, 25. *ſanctos altiſſimi* יְבַלֵּא *graviter atteret*, *vexabit*.

Verbum quidem ex punctis maſorethicis in codice Hebraico non occurrit, ſed pro בְּלֹפִי male ac contra grammaticam poſito reſtituendum

dum cenſeo Jeſ. XIV, 6. מַכַּת בִּלְתִּי סָרָה *plaga vexationis meae receſſit.* Vide bibl. Or. T. XIV. p. 150. Hinc

תַּבְלִית *vexatio, vexator.*

Jeſ. X, 25. *finem habebit ira*, (contra populum Dei) *et* vertet ſe *ira mea contra vexatorem eorum.* Diſcordes ibi interpretes: Coccejus, *ira mea propter antiquationem eorum*, Simonis *conſumtionem* eorum, LXX. ἐπὶ τὴν βουλὴν αὐτῶν, ac ſi eſſet a בַּל Dan. VI, 15. Chaldaeus et Vulgata, *ſuper ſcelus eorum*, a תֶּבֶל.

בָּלָה inde בַּלָּהָה *caſus improviſus, terror.*

Verbum בָּלָה omiſerunt lexicographi, licet ad illud referendum ſit nomen בַּלָּהָה, decies lectum, ipſumque adeo verbum in Cthib occurrat Ezr. IV, 4. ומבלהים אותם *deterrebant illos.* Ergo in nomine בלהה ſudandum fuit, multis per transpoſitionem literarum ad בהל *terruit* referentibus, quae ſignificatio plerisque locis apta, (non omnibus, vide enim Pſ. LXXIII, 20.) Coccejo ad בלל, et mira comminiſcente, quibus recte S. R. Schultzius adſcripſit: *merae conjecturae; ſed rectiora illis ſubſtituere nequeo.* (Nempe diſplicebat ei, ut videtur, literarum transpoſitio). Caeterum in nomine vertendo recentiores ſatis concordes, diſcordes veteres: e. g. Job. XXVII, 20. *dolores* LXX, Vulgata, mirante Schultenſio, *inopiam*; Pſ. LXXIII, 19. LXX. ἀνομίαν.

Arabibus quidem بله *ſtultitiam, ſimplicitatem, ſocordiam mali incurioſam* notat, unde forte caſus improviſus, malum imprudenter de repente opprimens, dici poſſit, qui ſignificatus Pſalmo LXXIII, 20. eximie aptus foret, moriuntur *ex improviſo*, itemque Job. XXVII, 19. *improviſa mors diluvii inſtar aſſequitur eum.* Certe de terrore in Jobi loco ſermo vix eſſe poteſt, totumque orationis filum improviſa mala poſtulat. — — (Forte et ex hac origine rationem reddere poſſis, quid

quid ſpectantes LXX. in Pſ. 73. *ἀνομίαν* verterint, *ſtultitia* pro *delicto* poſita. Sic et iidem Jerem. XXIX, 23. pro נבלה *ἀνομίαν* habent).

Syris ܒܗܠ in quadrilitero ܒܠܗܒ eſt, *terruit*, unde ܒܘܠܗܒܐ *terror*: incertum, utrum terrore dicto ab *improviſo*, an a בהל transpoſitione literarum, an utroque, ipſae enim Arabicorum verborum بهل et بله ſignificationes cognatae videntur, a *ſocordia ortae*. Quidquid ſit, terrendi ſignificatio ex Syriasmo certa, unde בַּלָּהָה plerumque *terror*.

בליעל vide ſub יעל.

בלל *fudit*, *effudit*, *perfudit*, *perfuſus eſt*, *confudit*.

Male lexicographorum plerique eum ſignificatum, quo primo loco Geneſ. XI, occurrit, *confundendi*, jam ut primum poſuerunt, jam ut unicum. Eſt proprie *fundere*, *effundere* generatim, ut vel ex derivatis liquet, male in lexicis a primitivo ſeparatis, מַבּוּל *inundatio*, et שִׁבֹּלֶת *fluctus*. Arabibus quoque بَلَّ *madefecit*, *rigavit*.

Hinc *perfundere*, ut, placenta et farina בלולה בשמן *perfuſa oleo*, Exod. XXIX, 2. &c. &c. oppoſitum placentae משוחה בשמן, *cui manu et digitis infricatur oleum*. Peſſime vertunt, *mixtam oleo*, ex falſo etymo, ac pereunte oppoſitione.

Intranſitive poni creditur Pſ. XCII, 11. בַּלֹּתִי *perfuſus ſum oleo viridi*, vel potius, *viridis olivae*. (Vide quae infra ſub רענן de oleo notabimus). Quod quidem mihi ſuſpectum: non oleo olivarum, ſed aromatum, ungi, in deliciis erat Hebraeis, nec בלל *ungi*, ſed, ut vixdum vidimus, opponi ſolitum verbo משח. Ergo ſi puncta ſequi velis, forte rectius vertes, *humectus ſum oleo*, *virens*; petita imagine ab oliva ſucci oleique plena, collato Pſ. LII, 10. Arabibus quidem بَلَّ ſic quoque intranſitive, *maduit*, et بَلَالٌ *ſucculentia et recens humiditas*

ditas plantae. A punctis si discedere malis, priore membro versus suadente, vide בלת.

Confundendi significationem Genes. XI, 7. 9. neutiquam nego, cum et res ipsa poscat, et habeat Syria, maxime sub quadrilitero ܒܠܒܠ. Quin et ܡܒܠܒܠ ܒܗܘܦܟܐ est, *confusus conversatione, de rei exitu dubius ac solicitus*, chrestom. p. 104. infima, et Arabibus بَلْبَلَة *solicitudo*.

הֶבֶל male huc relatum quaere sub ה.

בליל *farrago*.

Ter occurrit, Job. VI, 5. XXIV, 6. Jes. XXX, 24. Habet et Syrus Jes. 30. ܒܠܝܠܐ ܡܚܡܨܐ at in Jobo utrobique ܡܚܡܨܐ vertit, pro quo Arabs c. 6. *resectas herbas* (جَزُور) posuit, et c. 24. filo orationis inepte, licet philologice ratio reddi versionis possit, *aquam calidam*. (سَخِين).

Dissident magni interpretes, Bochartus et Schultensius: illo *pabulum mixtum, farraginem*, interpretante, T. I. hieroz. l. II. c. 31. p. 300. hoc, *pabulum viride*, ab humore ita dictum. Mihi quidem Bochartiana sententia praeplacet, ob locum Jes. XXX, 24. ubi בליל *ventilatur*, quod in pabulum viride non cadit: cum tamen et in agro בליל metatur, Job. XXIV, 6. puto, בליל omne esse pabulum mixtum, sive 1) ex frumenti variis generibus Jes. XXX, 24. sive 2) ex herbis viridibus ac recentibus Job. XXIV, 6.

תְּבַלֻּל Levit. XXI, 20. *leucoma?* an, *morbus?*

De significatione nihil adhucdum certi habemus, nec probabilium explicationum defectus adcusandus, sed copia, multiplici se etymo offerente, et dissentientibus veteribus. Ne scriptio quidem certa:

תבלל aliis vocalibus efferri possit, תְּבַלֻּל, at 20 codices Kenn. תבלול habent.

Ad radicem בלל si referas, possit esse, sive

1) *mixtura* seu confusio coloris albi in oculo, et pupillae, pupillae orbe non satis definito. Hoc quidem displicet: levius oculi vitium nominari, praeteriri graviora, non verisimile.

2) a *fluendo*, seu *defluvio capillorum*, calvities in superciliis oculorum. Sic quidem LXX. πτίλλος τοὺς ὀφθαλμοὺς, ac me judice Chaldaeus, חִילִין בְּעֵינֵיה, quod quidem Chaldaicum vocabulum, valde Judaeis controversum, (vide Buxtorfii lex.) *calvitiem* verto, ab Arabico, حلن, *nudavit pilis*.

Nec tamen vel haec mihi placet explicatio, primo, quod vitium esse solet utrique oculo commune, cum Moses manifeste de vitio loquatur, quod et potest et solet unius oculi esse, (בעינו singulariter, nulla varia lectione, si Samaritanos codices, in his vix audiendos excipias) deinde, quod calvities superciliorum non dici potest esse, *in oculo*, (בעינו) sed supra oculum, (על עינו) denique, quod forte haec ipsa calvities eodem in indice naevorum alio jam nomine notata est. (Vide גבן).

3) Lippitudinem alii intellexerunt, ab effluente humore dictam. Vide Buxtorfium sub חילין. Nec id mihi probatur, cum lippitudo non unius oculi, sed amborum effluvium esse soleat. Potius, si ab effluente humore תבלל dictum, malim

4) *fistulam lacrimalem* esse, quam tamen interpretationem nullius ex veteribus consensu firmare possum.

His omnibus versionibus, auctoritatem veterum si spectes, multum praestare videtur.

5) *Al-*

5) *Albugo*, i. e. macula alba in oculo eum excoecans, nostris medicis, ubi major est, *leucoma*, dicta, quali Tobias ex stercore calido avis oculo illapso laborasse dicitur (*). Sic quidem anonymus Graecus in Hexaplis, λεύκωμα, Syrus, ܡܣܘܪܐ, Vulg. *albiginem habens in oculo*, Saadias, وَكَتٌ, idem quod وَكَتَةٌ *punctum candicans in nigricante parte oculi:* sunt enim hae maculae jam minores jam majores, quas medici nominibus distinguere solent, uno Hebraei complexi sunt.

Graecum nomen λεύκωμα, Syriace ܠܘܩܘܡܐ versum, occurrit in Tobiae libro c. II, 10. (sequor in magna versuum diversitate editionem Breitingerianam) III, 17, VI, 9. XI, 7. 12. pro quo Hebraicus liber ipsum nomen תבלול reponit, ex Münsteri editione, c. II, 10. ex Fagii c. VI, 9. XI, 12.

Hoc quidem vitium oculorum dici potuerit, sive a *confusione* oculorum, ut Fagii Tobias Hebraicus c. II, 11. habet, כתבלבלו עיני *confusi fuerint oculi mei, nec potui videre;* sive a *suffusione*, quod suffusioni similis videatur macula, sive denique a تبل quod morbum generatim significat.

Plerorumque veterum cum versiones recensuerim, addere lubet et reliquorum: Aqu. *suffusionem* vertit, Maurus كتيب nullo sensu, sed suspicor\ كُتَيِّب legendum, a كتب *effudit*, Samaritanus מצלר i. e. *faeces*, coll. Syriaco ܨܠܐ. Hic quidem maculam oculi faeces dixisse videtur.

Ex his, quae veteres recentioresque habent, praeplacere *leucoma* professus sum: et tamen vel in eo est, quod displicet, primo minus signa-

(*) Cave cum cataracta, (Staar) confundas, qui plane alius oculorum morbus est.

ſignatum etymon, (ſed id levius) deinde, quod veri diſſimile, unum ex morbis oculi leucoma nominari, non alios graves, atque adeo graviores, fiſtulam lacrimalem, cataractam. Malim ergo, ad تبل *debilitavit, aegrum reddidit, perdidit,* referens, generatim *morbum* vel *noxam oculi* graviorem vertere, ut lippitudinem, fiſtulam, leucoma et cataractam uno nomine complectatur.

בלם *ligavit.*

Ἅπαξ λεγόμενον Pſ. XXXII, 9. ſoli ſub hac ſignificatione habent Aramaei, Arabes ſub aliis. *Ligandi* generalem ſignificationem, loco egregie aptam, Judaei ex lingua Miſchnica ſumſerunt, a Judaeis lexicographi: recte, ut mihi videtur, confirmat enim eam Syriasmus, cui verbum eſt, *obligare os* (bovis triturantis) Deut. XXV, 4. indeque, *ad ſilentium redigere,* Marci I, 25. in Philox. verſione, nomenque ܒܠܡܐ pro *fraeno labiis indito* ponitur 2 Reg. XIX, 28. Jeſ. XXXVII, 29. itemque pro חח, *annulo per naſum cameli vel bubali trajecto*. Ezech. XIX, 4.

בלס *maculavit.*

Semel occurrit Amos VII, 14. quo de loco, ejusque variis verſionibus eum copioſe egerit Bochartus T. I. hieroz. l. II. c. 39. p. 383-385. ad illum ablegare poſſum, licet in rei ſumma diſſentiens. Quod plerumque habent lexicographi, *quaerere,* alliterationi ex Chaldaico בלש debetur: Bocharti verſio, quam Simonis in lexicon ſuum recepit, *colens ſycomoros,* ab Arabico بلس *ficus,* locum habere non poteſt, Nomadum enim, qualis fuit Amoſus, ſtabiles ſedes non habentium, haud eſt, arbores colere. Mihi quidem ea interpretatio veriſſima videtur, quae et antiquiſſima, LXX. κνίζων, et Hieronymi ex illis ſumta, *vellicans ſycomoros,* ita tamen, ut primam vim verbi non in vellicando, ſed contaminando eſſe putem. Nempe ſycomori fru-

ctus

ctus ingrati amarique saporis est, nec maturescit, nisi vellicetur, aut ferro incidatur, aut, si nemo id faciat hominum, a culicibus et sciniphibus pungatur. Chaldaeis בלס est, *miscere, contaminare*: ficus, punctae, incisae, vellicatae, maculosae fiunt, quod initium maturitatis, a corruptione ordientis. Proprie ergo verteres, *maculans sycomoros*, quod ut dixi, vellicando fit et incidendo. A maculis deinde ipsa ficus بَلَس Arabibus dicta, quin et ut jam monuit Bochartus, Aethiopibus.

בלע *deglutivit (sputum) percussit, inebriavit* (vinum), *dictis, commovit, lacunosas reddidit vias.*

Duas non cognatas significationes בלע habere mirari desinemus, si cogitaverimus, non unum, sed duo verba esse, sono quoque diversa, بلع *absorpsit*, et بلغ, sed quae Hebraeus scribendo distinguere nequit.

Notissimae quidem *deglutiendi* significationi primo addenda,

1) phrasis inde orta בלע רק *deglutire sputum*, i. e. *momentum temporis*, Job. VII, 19. *non remittis a me* עד בלעי רקי *donec deglutiam sputum meum*, egregie ad hunc locum illustrata a Schultensio ex Arabica, ابلعني ريقي *deglutire me sine salivam*, i. e. *tantulum concede mihi spatii, ut salivam deglutire possim.* Vide ipsum plura daturum.

2) eadem phrasis, sed elliptica, Num. IV, 24. *non intrabunt ad videndum* כבלע *vel unico momento res sanctas, ne moriantur.* Ut nos brevissimum tempus ictum oculi (*Augenblick*) dicimus, ita deglutitionem Arabes Hebraeique. LXX. ab hac explicatione aut proximi, aut alio modo adverbio eandem habent, ἐξάπινα (*derepente*) vertentes. Puncta כְּבַלַּע nescio cur in Piel posita, mutanda videntur in infin. Kal, כִּבְלֹעַ, aut si mavis in nomen כְּבֶלַע.

3) Jam vero perit, quam huic loco satis aptam excogitaverant lexicographi significationem *involvendi: — — non intrabunt, cum involventur sancta*, sed linguis Orientalibus ignotam.

Sed his a deglutiendo ortis significationibus addenda

4) frequentissima Syris, *percutiendi*, e. g. Apoc. VIII, 12. ܘܐܬܡܚܝ ܬܘܠܬܗ ܕܫܡܫܐ ἐπλήγη τὸ τρίτον τοῦ ἡλίου &c. &c. Sic sine dubio sumendum Job. II, 3. *incitasti me*, לבלעו *ad percutiendum eum*, (neutiquam, ad deglutiendum, id enim non factum erat) X, 8. ותבלעני ubi jam LXX ἔπαισάς με, Jes. XXV, 7. (vide vers. germ.) Thren. II, 8. *non reducit manum suam* מִבַּלֵּעַ *a percutiendo Sionem.* Haec quidem significatio, sed paululum mutata, superesse videtur in Arabico بلغ *pervenit ad aliquid*, *penetravit.* Hinc

5) *inebriari* Jes. XXVIII, 7. נבלעו מן היין, proprie, sive, *percussi sunt a vino*, i. e. humi prostrati, sive, *penetrati sunt vino.* Certe *deglutiri a vino* neminem dixeris.

6) Arabes verbum ad *dictum gravius et acerbius*, aut *eloquens*, animo certe haerens, transferunt: e. g. Sur. IV, 66. *mone illos*, (hypocritas) *et dic illis in animas ipsorum* قَوْلًا بَلِيغًا *dictum alte penetrans* VI, 150. *deo est* الحُجَّة البَالِيغَة *disputatio penetrantissima*, *ac si vellet*, *eos ad fidem perduxisset.* Incertum, utrum a penetrando, aut assequendo finem, an a sagitta metam attingente (vide Abulfedae Aegyptum p. 13) ducta imagine.

Hac significatione Job. XXXVII, 20. occurrit, *narrabiturne Deo si loquutus fuero? aut ita dixerit homo*, כי יְבֻלָּע *ut penetretur*, tanquam percellatur, et moveatur. Vide et deinde בֶּלַע.

7) Ad vias transfertur verbum Jes. III, 12. *qui ducunt te*, *viam semitarum tuarum* בִּלֵּעוּ. Hic veteres ex mera conjectura, praeter lingua-

linguarum usum, LXX. et Syr. *ταράσσουσι*, ܢܕܠܚܘܢ, Chaldaeus et Vulgata, *dissipant*, Vitringa, *corrumpunt*. Ego malim, sive, *tales faciunt vias, ut deglutiant viatorem:* sive, quod forte melius, *lacunosas et foraminosas faciunt vias tuas.* Nempe a deglutiendo et absorbendo *foramen* Arabibus dicitur, بَلْعٌ, بُلْعَةٌ, بَلُوعَةٌ, indeque verbum denominativum بَلَّعَ *perforavit.* Vide et Jes. IX, 15. *qui ab illis ducuntur* מְבֻלָּעִים *absorbentur*, i. e. *lacunis et foraminibus merguntur.*

בֶּלַע *obtrectatio.*

Ps. LII, 6. de Doego, delatore, David: *amas* omnia *verba* בלע *linguae fraudulentae.* Arabibus بلغ, quod de dicto alte in animum descendente poni vixdum monuimus, (p. 186.) in malam quoque partem accipitur: بَلَاغَةٌ non *eloquentia* solum, sed et, (Golii verbis utor) *susurrationes*, *maledicta de absente.* Erunt ergo דברי בלע *callidae obtrectationes., alte in animum descendentes*, forte, a sagitta petita imagine, coll. Ps. CXX, 4.

בִּלְעָם *Bileam.*

Nomen hoc Apocalypseos auctor graece *Νικολάος* interpretari verisimillime visus est recentioribus, c. II, 15. 16. 6. Idem de nomine sentiens Simonis p. 459. nec nisi de deglutitione sub בָּלַע cogitans, *ex* בלע עם, inquit, *absorptio, i. e. victor populi.* Multo facilior derivatio, si ad בלע *percussit*, referas, quod et Syris est, *vicit.*

בלק *aperuit.*

Bis occurrit Jes. XXIV, 1. Nahum. II, 11. bonarumque explicationum non inopia laboratur, sed copia. In bonis duas numero, sed a lexicographis praetermitti solitas,

1) Hieronymus Tomo II. operum, nomen proprium בָּלָק, interpretaturus habet ſub Philonis nomine, *ἄνους*, et ſub alio interprete latine, *amens.* Locum Philonis reperies T. I. p. 414. Mangeyanae editionis, *ἑρμηνεύεται γὰρ Βαλακ, ἄνους.* Non certe male, بَلِقَ Arabibus eſt, *attonitus fuit*, *obſtupuit:* eſtque ſignificatio utrique loco ſatis apta, *attonitus ſtupor.* Sed aptius adhuc,

2) quod pater Davidis Kimchii, Joſephus Kimchi ex Arabiſmo attulit, *aperire.* Sic quidem filius ad Jeſ. XXIV. *pater meus interpretabatur ſignificatione aperiendi ex Arabico*, بلقت الباب *(urbs aperuit portam). Sic interpretatio erit, aperit portam, ut urbis incolae exeant, atque huc tendit Thargum*, מסר לה לסנאא *tradidit urbem hoſti.* Egregie vero hic ſignificatus loco Jeſaiae ſedet, *Jehova effundet terram, et aperiet eam*, (ab utre petita imagine) *et faciem ejus invertet, incolasque effluere faciet:* (vide ſimilem a Jeremia informatam imaginem c. XLVIII, 11. 12.) itemque Nahumi, *aperta, perrupta eſt Ninive.* Eandem ſignificationem et Syrus expreſſit, in Jeſaia ܡܒܠܩ *perfringit*, in Nahumo ܡܒܠܩܐ *perfracta.*

3) LXX in Jeſ. *ἐρημώσει αὐτήν*, et Raſchi, *vaſtat eam.* Et hoc firmat Arabiſmus, cui بلوقة eſt, *deſertum, terra nihil producens praeter marmora, aut prorſus nihil.* A colore hoc ductum; بَلَقٌ enim eſt, *variegatus colore albo et nigro*, indeque, *marmor.* Eodem et redit Latina in Jeſaia, quae nunc quidem, transpoſitis verbis, *nudabit*, reddere videtur, ſed olim habebat, ut in Sabatierii bibliis legitur, *ecce dominus corrumpet orbem terrarum, et* (בלקה) *vaſtabit illum, et nudabit faciem ejus.* Sic et Kimchius, filius, בודר אותה מן הישוב *ſeparat eam a terra habitata:* atque Caſtellus, quadriliterum بَلْقَعَ *inculta, non habitata fuit regio*, conferens.

In

In hac bonarum explicationum copia, quas ultro offert Arabia, quis non aegre ferat, plerosque recentiorum ex mera conjectura vertere, *exinanivit?* novamque et audaciorem conjecturam fidenter addere Coccejum, exinanitionem ab *extractione radicum* dictam esse?

Ἐκβρασμὸν, *ejectionem violentam*, in Nahumo habent LXX, exque illis Arabs تبديد *dispersionem*, Syriacumne ܡܚܘܠܐ *percussio*, *allisio*, spectantes? an ex conjectura?

Caeterum quomodo accidat, ut in uno verbo tres *aperiendi*, *amentiae*, *vastationis* significationes conveniant, Arabicum lexicon scripturis anquirendum relinquo: mihi hic sola certissima *aperiendi* sufficit.

בֶּלֶת *vulnus* Ps. XCII, 11.

Verbi בַּלֹּתִי si puncta sequi lubeat, p. 180. sub בלל dedi explicationem: at suspicor, בַּלְתִּי adpellandum, atque nomen esse בֶּלֶת cum suffixo. Arabibus بلت et بلتي inter alia est, *secuit*: indene *vulnus* dictum? mensque carminis, *vulnus meum oleo reviresçit*, i. e. *sanatur*. Aptius hoc praecedenti membro, quam virens oliva, nolui ergo, tentamen subticere, licet ei parum adhuc fidam.

בִּלְתִּי *quin*: significatio spuria.

Particulae בלתי Jes. X, 4. significationem QUIN dederunt, praeeuntibus LXX et Vulg. nullo ejus certo suppetente exemplo, ne hoc ipso quidem Jesaiae, quod et aliam ex consveta vi particulae explicationem admittit. Vide versionem germanicam, ubi בלתי ad praecedentia retuli: *ad quem fugietis auxilium petentes, cui relinquetis* (servandas) *divitias vestras, praeter me?*

בָּמָה *excelsum*.

Nomen usitatissimum Hebraeis, atque antiquum, Mosaicae adeo aetatis, sed reliquis linguis Orientalibus ita ignotum, ut ne derivari

 quidem

quidem ab ullo earum verbo possit. Suspicor ergo exoticum esse, a *βωμὸς*, atque ut pauca alia Graeca in linguam Phoenicum, id vero est, Hebraicam, commerciis Phoenicum cum Graecis immigrasse. Ezechiel quidem vocabulo contra orientalium linguarum morem etymon non habenti, etymon fingit, irridendi animo, ac si esset a בא מה *venit, nescio ad quid:* c. XX, 29. Graecum si est, quaeri desinet, ad quam radicem, בום? an במה referendum sit? flectitur tamen, ac si a בום esset, cum vocali in omni incremento vocis, et ante omnia suffixa invariabili, בָּמוֹתֵיכֶם Levit. XXVI, 30.

בָּנָה *munivit urbem.*

בנה *aedificare*, de urbe positum, etiam esse, urbem quae jam antea fuerat, *munire*, i. e. *moenibus cingere*, (quae significatio in lexicis omissa) recte monuerunt interpretes ad Jos. VI, 26. 1 Reg. XVI, 34. collato Jud. III, 13. 2 Sam. X, 5. clamatque res ipsa: Hierichantem enim qui aedificat, primogenitum amittit *fundans* EAM, et filiorum minimum, *portas statuens;* fundare urbem quis intellexerit de fundamentis aedium singularum jactis? erit potius *fundamenta muri ponere*, quod muniendi initium, ut *portas statuere* ultimum.

Suspicio tamen cum orta sit, interpretes haec ad pugnam locorum, quae dixi, tollendam commiscuisse, alia ejusdem significationis exempla adjicio: 1 Reg. XV, 17. ויבן את רמה *munivit Ramam*, (quae urbs diu ante fuerat) *ut Judaeos exitu et ingressu prohiberet:* 1 Maccab. I, 32. *ᾠκοδόμησαν τὴν πόλιν Δαβὶδ τείχει μεγάλῳ καὶ ἰσχυρῷ καὶ ἐγένετο αὐτοῖς εἰς* Ἄκραν. Sic et Syri, in chronico Edesseno ad annum Graec. 660. (Christi 349.) *hoc anno Constantius Constantini filius* ܒܢܐ ܐܡܝܕ ܡܕܝܢܬܐ *aedificavit urbem Amidam*, quae quidem diu ante urbs fuerat, ut ex vita Ephraemi demonstrat Assemanus, bibl. Or. T. I. p. 26. 196. Pergit idem chronicon: anno 661.

ܒܢܐ

ܒܢܐ ܕܝܢ *porro aedificavit idem Constantius Thellam urbem, quae antea Antipolis dicta fuerat.*

בַּת *neptis, juvencula.*

בַּת licet non filiam modo, sed et neptem, post multas etiam generationes, significet, haec tamen in genealogiis Hebraeorum constructio insolens, דינה בת יעקב בת יצחק *Dina filia Jacobi, neptis Isaaci*, cujus loco perpetua fere lege dicunt, *Dina filia Jacobi, filii Isaaci.* Insigne quidem, multisque agitatum controversiis exemplum insolentioris constructionis in codice Hebraico, ut Judaicis descriptus est literis, occurrit Genes. XXXVI, 2. 14. אהליבמה בת ענה בת צבעון ex versu enim 24. certum, Anam filium fuisse Sibeonis non filiam: sed ei varietas lectionis opponitur, Samaritano textu, LXX et Syro בן צבעון habentibus, quam et in versione bibliorum, bibliothecaque Or. T. IX. p. 202. sequutus sum. Ut tamen ingenue fatear, non magnae sunt auctoritates, Samaritanus et LXX corrigere soliti, si qua displicebant, et Syrus octavo seculo ex LXX correctus: magnaque in utroque versu codicum Judaicorum constantia, verisimile reddit, lectionem bis occurrentem non errorem librarii, sed veram esse. Accedit, quod in eodem capite versu 39 tertium constructionis exemplum מהיטבאל בת מטרד בת מיזהב non in Hebraicis solum sed et Samaritanis codicibus constanter legitur, licet et hic LXX Syrusque in בן correxerint. Tria in uno capite exempla, vix possunt errore librariorum constitisse. Meminerimus potius, genealogiam Edomiticam hic texi, quae non potuit non maximam partem ex monumentis Idumaeorum sumta esse: constructio Hebraeis insolens, ut nullum ejus alibi exemplum reperiamus, Idumaeis forte usitata.

בת נשים *filia feminarum* Dan. XI, 17. *juvencula*, ut in masculino שור בן בקר *bos filius bovis* est, *juvencus.* Egregie concinit explica-

plicationi historia, Cleopatra enim puero duodecim annorum despondebatur, ipsa, ut opinari fas est, sponso natu minor. Phrasis tamen cum ἅπαξ λεγομένη sit, adhaeserunt hic, ignorantia ut puto historiae, LXX et Syrus, *filiam hominis*, vel, *hominum* vertentes: θυγατέρα ἀνθρώπου: ܒܪܬ ܐܢܫܐ.

בֹּסֶר *omphax.*

De significatione vocabuli a lexicographis tradita, dubitari omnino nequit, collatis locis Job. XV, 33. ubi viti tribuitur, et Jerem. XXXI, 29. 30. Ezech. XVIII, 2. ubi dentes stupefacit. De solo etymo dicendum, quod in *acerbitate* et *immaturitate* esse videtur: Syris quidem acetum, ܒܣܪܐ Proverb. X, 26. Arabibusque بسر *intempestive aliquid fecit, palmam ante tempus semine masculi floris conspersit, immaturos dactylos maturis miscuit*, indeque بُسْر (ipsum nostrum vocabulum, sed ad arborem Arabiae indigenam translatum) *dactyli immaturi.* — — Habent et Syri Chaldaeique ܒܘܣܪܐ, בוסרא, illisque pro Hebr. בסר utuntur, e. g. Job. XV, 33.

בעה *tumuit.*

Omnino illis adsentior, qui verbo בעה Jes. XXX, 13. *tumoris* significatum tribuerunt. Arabibus بغى est, *exorbitare*, etiam, *sanie tumere*, primaque vis verbi esse videtur in declinatione a recta linea. Chaldaeo quoque, ut ad h. l. monuit pater meus, בְּעֵי לִבָּא est, *tumor cordis*, *superbia*, Proverb. XXI. 4.

נבעו Obad. 6. quaere sub נבע.

בָּעַל *fastidivit.*

Hanc significationem ex Judaeis Christianisque aliqui verbo בעל Jerem. III, 14. XXXI, 32. tribuerunt, estque, fateor, filo orationis satis apta, licet et consveta, *maritus fuit*, locum tueri possit: non ergo

go in his supplementis praetermittenda, maxime, cum LXX. c. 31. בעלתי בם ἠμέλισα αὐτῶν, verterint, Syrusque ܫܛܬ ܐܢܘܢ *sprevi eos.*

Josephus quidem *Kimchi*, linguae Arabicae peritus, monebat בעל cum ב constructum esse, *fastidire*, (vide filium ejus Davidem Kimchi ad haec loca) *Eduardus*que *Pocokius* in miscellaneis ad portam Mosis p. 5 - 10. ex Arabum grammaticis verbo بعل cum ب constructo *fastidiendi* significationem adserebat, exempla tamen usus ex auctoribus non addens. Pocokius quae scripsit integra perlegi velim ab his, qui sibi judicare permittent.

Suspectum videri possit, idem verbum contrarias *amoris conjugalis*, atque adeo *intensissimi amoris*, *quo sponsus juvenis sponsam prosequitur*, (Jes. LXII, 5.) et *fastidii*, significationes complecti: antiphrasis enim, quam aliqui olim grammatici comminiscebantur, recentioribus jure displicuit. Sed forte hic, ut saepe in radicibus Chet vel Ain habentibus, sub iisdem literis pro adpellationis diversitate duo verba plane diversa habemus, inque fastidiendi significatu non, ut fecit Pocokius, بعل, sed per Gain بغل scribendum erat. Sic omnia expedita. بعل Arabibus, ut Hebraeis, *maritus fuit*, indeque بَعْلٌ *maritus*: at بغّل *segnis tardusque fuit*, unde et mulo nomen بَغْلٌ ductum. A segnitie et *fastidium* dici recte potuit, maxime, uxoris, et *neglectus*, ἀμέλεια.

Ex me, si quis quaerat, quem in utroque Jeremiae loco significatum praeferam? ambigere me adhuc profiteor. Consvetus optime locum tuetur, unde et illum in versione germanica retinui, donec certiora nanciscar significationis *fastidiendi* exempla ex usu Arabum: at pro hac fastidiendi significatione multum facit, insolita alias, cum ב constructio, his solis in locis occurrens.

Venema in Jeremiam, in etymologicis conjecturis audacior, a *turgendo* omnes manasse significationes autumat, unde et Jerem. III, 14. vertit: *tursi in vos zelotypia*. Etymologia mere conjecturalis, nulloque certo exemplo firmata: significatio, ejus, quae ex Arabismo promebatur a Josepho Kimchio, contrarium, alia enim omnia sunt, zelotypum esse, et fastidire uxorem.

בַּעַל *Hercules Phoenicum.*

De Baale sententiam dicturus excusatus esse velim lectoribus, omnia illa intacta praetermittens, quae Seldenus de diis Syris syntagm. II. c. 1. habet. Ipsi, si volupe est, legant: mihi non hic locus esse videtur, Seldenum aut compilandi aut refellendi, sed si qua habeo certiora, promendi.

Herculem praecipue a Tyriis cultum fuisse, vel pueris ex Curtio libr. IV. c. 2. notum. Hunc cum Baalem esse arbitrer Hebraeorum, ante omnia dicendum, hic Hercules quis fuerit, non Graecus, sed diversus ab illo, atque antiquior, Phoenicum. Verba Arriani l. II. c. 16. de expedit. Alexandri adscribere lubet: *est Tyri templum Herculis, vetustissimum eorum, quorum inter homines memoria servatur; nec vero Argivi Herculis, qui Alcmenae filius fuit. Multis enim ante quam Cadmus ex Phoenice profectus Thebas occupasset, eique Semele nata esset, ex qua Bacchus Jovis filius, Tyri jam cultus Hercules est. Bacchus quidem tertius a Cadmo est, Labdaci aequalis, qui filius fuit Polydori filii Cadmi.* Post haec de Aegyptio et Graeco Hercule plura interfatus, quae non describo, de Tyrio pergit: *Herculem, qui Tartessi ab Iberis colitur, ut vel sint ibi, quae Herculis dicuntur columnae, Tyrium Herculem esse arbitror, Tartessus enim a Phoenicibus condita, et Phoenicum more templum Herculis ibi exstructum, Phoenicum ritu victimae mactantur. Geryonem vero, contra quem Argivus Hercules ab Euristheo*

missus, ut boves Geryonis raptas Mycenas duceret, nihil ad Iberorum regionem pertinere, Hecataeus auctor est &c. — — Huic ergo Tyrio Herculi sacrificare se cupere significavit Alexander. Similia Lucianus habet, de Dea Syria §. 3. (T. III. p. 153. Reitzianae editionis) sed brevius: *templum Herculis, quod Tyri est, non ejus, quem Graeci canunt, Herculis: is, quem ego dico, multo antiquior, Tyriorumque divus est.* Vide et 2 Maccab. IV, 18. 19. 20. Herodotum l. II. c. 44. Diodorum Siculum l. XX. c. 14. inscriptionemque Colchestriae repertam, excerptam in bibl. Or. T. VI. p. 111. Ηρακλει Τυριω Διοδωρα αρχιερεια.

Hunc vero Herculem, impense a Phoenicibus cultum idque jam ab ultimis diu ante Graecum Herculem temporibus, in codice Hebraico praetermitti anonymum, miraculi instar foret, Israelitis idololatriam Cananitarum imitari solitis. Verisimilia ergo me adferre arbitror, si Baalem, cujus nomen innumeris locis in sacris literis occurrit, Herculem Phoenicum esse dixero. In duobus quidem nummis literis Phoenicum inscriptis, quas *Dutens* aere excudi fecit (*), vultum Herculis agnosco, inque alterius altero latere, pisces, cum inscriptione superna מבעל, inferna אגדר. Prius, a Dutensio male pro participio habitum, equidem legerim, מ בעל i. e. מלך בעל, *rex Baal,* posterius aut Gadarae nomen est, praemisso Aleph prosthetico, aut compendium scriptionis pro אי גדר, *insula Gadara.* Vide bibliothecam Or. T. X. p. 135. 136.

Verisimiliorem facit sententiam ritus singularis quo Baalem Herculemque Tyrium venerari solebant, osculis. De Baale vide 1 Reg. XIX, 18. *os, quod non osculatum est Baalem,* de Hercule Agrigentino Cice-

(*) In, *explication de quelques médailles Phéniciennes du Cabinet de Mr. Duane,* tabula 2. n. 9. 10.

Ciceronem libr. IV. in C. Verrem c. 43. *Herculis templum est apud Agrigentinos, sane sanctum apud illos et religiosum, ibi est ex aere simulacrum ipsius Herculis, quo non facile quidquam dixerim me vidisse pulchrius, usque eo judices, ut rictum ejus et mentum paullo sit attritius, quod in precibus et gratulationibus non solum id venerari, verum etiam osculari solent.* Hercules Agrigentinus, peregrino Romanisque ignoto cultu adoratus, quin Tyrius sit, nemo dubitabit, cui vetus Sicilia cognita, multas Phoenicum colonias ac nobilissimas habens, eorumque et lingua plerumque in nummis utens. Ipsius adeo nominis בעל, in *Bel* mutati, in Hercule Indico haeserunt vestigia: Cicero l. III. de nat. Deorum c. 16. Hercules enumerans, *quartus, Jovis et Asteriae, Latonae sororis, qui Tyri maxime colitur, cujus Karthaginem filiam ferunt: quintus in India, qui Belus dicitur.* Ex ipso quidem nomine, *Belus*, agnoscere est Deum, non in India natum, sed a Phoenicibus illum delatum: atque adeo suspicor fabulam de Hercule omnia ab Atlantico mari Indiam usque victoriis peragrante, inde ortam, quod ubique, ubi emporia Phoenicum, i. e. ab Atlantico ad Indicum mare, Herculis quoque seu Baalis statuae spectarentur.

Caeterum non negaverim, potuisse aliquando nomen בעל, maxime, alio adjecto, ut גד, in aliud numen transire, fere ut Bacchum Graecis Latinisque aliquando solem fieri novimus.

Cum Belo Babylonio non confundendus Baal, ille enim בֵּל scribitur, videturque nomen a verbo בלל habere, a quo et Babylon dicta, numen patrium ac privum Babyloniorum.

בעל גד, *Baalbec, Heliopolis.*

Legitur Josuae XI, 17. XII, 7. XIII, 5. ut nomen proprium urbis in valle Libani, limitaneae a septentrione terrae Israeliticae, sed extra ejus fines, utpote nulli tribuum attributae. Res ipsa clamat, eam esse,

quae

quae accolis in hunc usque diem, ruderibus modo urbi superstitibus, *Baalbec*, Graecis *Heliopolis ad Libanum*, dicta: quam sententiam copiose et erudite dixit ac peroravit Ikenius, in dissertatione de *Baal-Hamon et Baal-Gad*, philologico-theologicarum, quas anno 1749. Hagae edidit, decima quinta. Ad hanc ergo ablego lectores, pauca addens.

Sita urbs ea in valle amoenissima, quae Libanum inter et Antilibanum serpit, sub ipsis Antilibani, molliter se erigere incipientis, radicibus. Vide ejus delineationem in *ruinarum Baalbecae (the Ruins of Balbec otherwise Heliopolis in Coelesyria)* tabula 1 et 2; reliquae tabulae stupenda ostentant templorum rudera, seu potius miracula.

Mirum, in versionem Syriacam, quae optime memoriam urbis servare potuisset, manifestos irrepsisse errores, habet enim c. XI, 17. ܒܥܠܓܕ, c. XII, 7. ܒܥܠܓܐ, c. XIII, 5. ܒܥܠܓܕ. Culpa, non interpretis, sed librariorum, procul a Syria forte ultra Euphratem Tigridemque viventium, et quae esset Baalbec ignorantium. Olim enim aliter scriptum fuisse testis est Arabica versio, quae c. XI, 17. habet باعل جاد *(Baalgad)* c. XII, 7. بعلبك, sed quod sine dubio corrigendum بعلبك *Baalbec*, c. XIII, 5. وثن جاد i. e. *idolum Gad*. Ipse ergo aut Arabs aut Syrus praeivit interpretationem, quam Ikenius ornavit.

Additum Baalis nomini גד quid significet, minus exploratum. גד si hic *turma*, *levis armaturae miles*, *praedas agens*, Herculem habebimus, sive, turmarum ductorem, sive, praedas agentem, ut illi quidem mos fuit. Arabicum جَدّ comparanti, quod et *magnitudinem* significat et *prosperam fortunam*, videri possit, בעל גד sive *maximus* esse *Baal*, sive, *Baal prosperae fortunae*: cumque graecum urbis nomen a cultu solis sit ἡλιόπολις, aegre mihi suspicionem excutio,

 Baalem

Baalem maximum ſolem eſſe, quem, ut ſub Bacchi nomine coluerunt Europaei, et Phoenices Herculi forte ſuo comparaverint, omnia ab Indico mari ad Atlanticum victoriis emenſo. Vide et Macrobium Saturn. l. I. c. 20. qui aliis, ſed magis metaphyſicis argumentis, mihi ſuſpectis, Herculem ſolem eſſe probat.

Solis imaginem, quae Heliopoli ad Libanum colebatur, ex Aegypto advectam; Aegyptiaque adeo ex urbe cognomine, Heliopoli fuiſſe, auctor idem eſt Macrobius, Saturn. I, 23. quo et redire videntur, quae, quamquam minus diſerte, Lucianus habet, *de Dea Syria* §. 5. *habent vero et aliud Phoenices ſacrum, non Aſſyrium, ſed Aegyptium, quod Heliopoli in Phoenicen venit. Equidem illud non vidi, magnum vero ipſum quoque et antiquum eſt.* Notandum hoc maxime ad ea intelligenda, quae infra de בעל חמון dicemus. Qualis autem ſuo tempore fuerit imago, his verbis Macrobius l. c. p. 312. editionis Gronovianae 1670. dicit: *hunc eundem Jovem ſolemque eſſe, cum ex ipſo ſacrorum ritu, tum ex habitu dignoſcitur. Simulacrum enim aureum, ſpecie imberbi inſtat dextra elevata cum flagro in aurigae modum, laeva tenens fulmen et ſpicas, quae cuncta Jovis ſolisque conſociatam potentiam monſtrant.* Hanc tamen imaginem ex eo ſuperfuiſſe tempore, quo Heliopolis ejusque numen בעל גד vocabatur, ſponſor eſſe nolim: mentiri ſolebant ſimulacrorum ſummam antiquitatem.

De etymo aliter viſum Ikenio, *turmam, multitudinem* interpretanti, atque adeo recentius nomen, *Baalbec*, idem ſignificare arbitranti, بَكَّ enim eſſe, *comprimi, ut fit in magna hominum turba*, unde et Mecca, ipſis teſtibus Arabibus, nomen acceperit, بَكَّة *ſcribendum.* Mihi quidem hoc parum veriſimile. גד non multitudinem univerſim, ſed turmam piratarum ſignificat: in *Baalbec* autem *Bec* urbem potius ſignificare putem, atque eſſe ab Aegyptiis inditum, ſive quo tempo-

tempore Coeleſyria Ptolemaeis paruit, ſive diu ante, Βακι enim Aegyptiis, *civitas*. Vide Kircherum p. 263. Sic *Baalbec, Baalis urbs*, foret, ut *ἡλιόπολις, urbs ſolis*. Cultum Heliopolitanum ex Aegypto fuiſſe tralatitium vix dum audivimus.

בַּעֲלָת 1 Reg. IX, 18. 2 Paral. VIII, 6. *eademne Baalbec?*

Urbem בַּעֲלָת 1 Reg. IX, 18. 2 Paral. VIII, 6. a Salomone aedificatam legens, vix dubitare poſſum, quin aliud nomen ſit ejusdem urbis, quae Joſuae בעל גד dicebatur; ejus enim conditorem uno ore Salomonem ferunt accolae. Vide *Ruins of Baalbec* p. 6. et ab Ikenio collecta teſtimonia. Ipſa Libani vicinia, ſitusque amoenitas, veriſimile facit, hanc Salomonis ſedem aeſtivam fuiſſe; laudatur certe ejus *domus ſilvae Libani*, proſpectusque ex Libano in Cantico ita deſcribit, ut ei vicinus habitaſſe, montemque ſaepe pererraſſe videatur. Ipſorum Syriasmorum in ſcriptis ejus frequentium vix alia reddi ratio poteſt, praeter actam ad Libanum in Syriae vicinia aeſtatem. Praeivit adeo, ſed alio quam vellem loco, ſententiam Syrus, Joſ. XIX, 44. בַּעֲלָת ܒܥܠܒܟ vertens. Neque haec ſcribens immemor ſum, Baalgad extra terminos Iſraelitarum ſitam fuiſſe, (pag. 196.) Salomonis enim tempore magna pars Syriae, Damaſcena regio tota et Palmyrena, armis Davidis ſubacta, ſub ditione Iſraelitarum erat. Baalbecam optime Damaſcenae accenſueris.

Sententiae, cujus et ipſi in mentem venerat, oppoſuit Ikenius, §. 16. diſſertationis de Baal Gad: *in eodem libro Joſuae, in quo ter urbs Baalgad memoretur, etiam Baalathae mentionem injici, tribui Dan adſignatae. Deinde regionem tribus Dan nimis longe a Libano remotam eſſe, quam ut illi urbs in Coeleſyria cogitari poſſit adſignata eſſe.* Neminem quidem fore arbitror, qui Baalatham Joſ. XIX, 44. memoratam, Baalbecam faciat: eſt illa urbs tribus Judae, Joſ. XV, 9. בַּעֲלָה

alioque

alioque nomine קרית יערים dicta, cujus pars Danitis cessa, ut in pluribus Judaeorum urbibus factum. Haec ergo Danitica Baalatha ab ea, quam Salomon aedificavit, distinguenda.

Josephus quidem 2 Reg. IX. excerpens, nomen urbis בעל גד nec posuit, nec alio nomine graeco interpretatus est, haec tamen loco ejus habet, Heliopolis situi inter *Bethchoron* et *Thadmor* egregie convenientia, *praeter has insuper alias aedificavit, opportune sitas ad fruendum voluptatibus et deliciis, aëris bona temperie et fructuum aestivorum ubertate beatas, copiosisque aquarum laticibus irriguas.* (Ant. VIII, 6, 1.) Amoenum Heliopolis situm et itineratores laudant, totiusque vallis quae ab illa incipit, resque ipsa, ac vicinia impendentis ei Libani clamat: de fontibus, quibus sit irrigua, dubitare possit, ex *la Roque* (*) compertum habens, falsum esse, quod Plinius tradidit, Orontem ad hanc urbem oriri: at fere sub ipsis muris alius erumpit rivus, Rosalein, in Letanen, haud procul inde ortum, influens (**).

Aedificatam a Salomone urbem cum dico, nolim sic intelligi, ante Salomonem eam non fuisse, sed aut amplificatam et ornatam a Salomone, aut munitam esse: (vide scripta sub בנה pag. 190.): nec quae vel nunc majestate et elegantia in admirationem rapiunt rudera, templorum esse putem, a Salomone conditorum, (quis enim ex tanta antiquitate superesse speret, aut haec pulcritudinis miracula infantiae architecturae illorum temporum tribuat?) sed multo recentiorum Romanis jam rerum potitis circa Caracallae tempora exstructorum, arbitror.

(*) *Voyage de Syrie et du Mont Liban par M. de la Roque*, T. I. p. 165-167.

(**) Ruins of Baalbec p. 5. *the rivers which water the Valley Bocat, are, the Litane, rising from the Antilibanon a little North of Balbec, which having received great increase from a fine fountain close by the city walls called Rosaleyn* &c. &c.

tror. Vide omnino, quae Wood in praefatione ruinis Balbeccensibus praemissa p. 8-11. in hanc sententiam disputavit.

LXX interpretibus Vulgatae et Syro ב in בְּעָלוֹת, seu ut codex 1 habet בעלת, 1 Reg. IV, 16. radicale visum, ἐν Βααλωθ, *in Baloth*, ܒܥܠܘܬ. Hi si recte, ejusdem urbis nomen erit, plene scriptum, forte et ubi defective, בְּעָלֹת efferendum, non ut voluerunt punctatores בְּעָלֹת. Josephus huic Baalothae a septentrione Palaestinae locum adsignavit *regionem maritimam circa Arcam*, interpretatus: τὴν περὶ Ἄρκαν παραλίαν Βαανάτης (εἶχεν ὑπ᾽ αὐτῷ) Ant. VIII, 2, 3. Arca quidem vicina Tripoli erat, XII inde milliaribus versus septentrionem, Tripolis nunquam Salomoni subfuit, multoque minus Arca, cui praefectum dare non potuit. Nec in vicinia sita Baalbecae, quam inter et Tripolin teste Woodio in praefatione ruinar. Baalbec. p. 5. sedecim circiter horae itineris sunt, totusque adeo Libanus occidentalis urbem inter utramque interjectus, ut nec hac Josephi defensione uti possim, eum totam regionem Heliopolin inter et Tripolim designare voluisse.

בעל המן *Baal Hammon, eademne Baalbec?*

Vinea Salomonis in בעל המון laudatur Cantic. VIII, 11. quod nomen licet alii adpellative interpretentur, eorum tamen sententia, qui proprium putant, nunquam non lecto versu praeplacet: praeiverunt eam LXX, Βεελαμων habentes, eum sequaci Arabe. Eandem quam בעל גד i. e. Baalbecam esse censuit Ikenius, copiosiusque disputavit in dissertatione de Baal Hamon §. 8. seqq. verisimiliter ille quidem, uno demto manifesto errore, quod §. 17. *turrim Libani Damascum spectantem* Cant. VII, 5. castellum urbis Baalbek fuisse putat, a la Roque descriptum. Per situm vero locorum plane fieri non potest, ut Baalbecae turris vel castellum Damascum prospicere dicatur: inter utramque enim

enim urbem Antilibanus, mons altissimus, interjectus, Baalbeca ad occidentem, Damasco ad orientem montis sita, in vallibus utraque. Alia sunt loca Libani ex quibus prospectus Damascum patet, ubi potius hanc turrim quaesieris. Vide itineraria *Maundreli* p. 121. et Pocokii T. II. p. 117. (versionis germ. §. 178).

Verisimilis mihi videtur sententia, has maxime ob caussas, ab Ikenio jam indicatas, primo, quod Baalhamon aut nuspiam praeter hunc locum memorari, aut eadem cum Baalgada dicenda est, deinde, quod in valle sita a vineis laudatissima, porro quod in vicinia Libani, in quo toties scena Cantici, denique, quod Baalbeca a Salomone aedificata, atque, ut equidem puto, aestiva sedes regis fuit.

Etymon tamen, quo roborare sententiam annisus, displicet, המון *multitudinem* a Salomone poni putat pro גד *turma*, *Baalem multitudinis*, pro, *Baale turmae*, non quod urbs utrumque nomen habuerit, sed metri caussa. Atqui גד et המון minime sunt synonyma, nec illud, nisi de levis armaturae turma, praedas cogente, usurpatum. Mihi quidem, si בעל המון Heliopolis ad Libanum, memori, numen ea in urbe cultum Aegyptium fuisse, sacra Aegyptia, Heliopoli Aegypti tralatitia, (pag. 198.) המון Jovis hic Ammonis nomen esse videtur, quod non אמון solum (Nah. III, 8.) sed forte et המון scribitur, Ezech. XXX, 15. exscindam, המון נא *Ammonem Thebarum*. Sic בעל המון erit, *Baal Hammon*, i. e. Hercules, sub quo et Aegyptius Hammon, forte et sol, colebatur, multis, ut solebat, numinibus conjugatis. *Jovem solem* Heliopoli cultum fuisse ex p. 198. meminerimus.

בעל זבוב *Baal muscarum*, vel, *Baal vagus*.

2 Reg. I, 2. 3. 6.

Verisimillima, atque omnium prope consensu recepta de Baal Zebubo sententia, ea est, quam copiosius dixit et ornavit Clericus ad

1 Reg.

1 Reg. I. numen intelligens contra muſcas invocatum, quale Graecis erat Juppiter *ἀπόμυιος*. Muſcarum examina in calido climate valde gravia, nonnunquam et peſtilentiam adferentia: vide §. 3. diſſ. noſtrae ad Deut. XXIII, 6. 7. (in ſyntagmate commentationum T. II. p. 98). Sic ergo, non Jovem quidem, ſed Herculem contra muſcarum examina opem ferentem habebimus.

Nec tamen plane certa ſententia, aliis etiam non inopinabilibus ſe offerentibus: poſſit enim eſſe ex ذبّ *furere, Hercules furioſus*, ſive, ut voluit Simonis p. 46. onomaſtici, ab ejusdem verbi alia ſignificatione, *incertis ſedibus vagari.* Sic quidem foret, non, ut vult Simonis, *Deus Philiſtaeorum exſulum*, ſed potius, ut verbis Horatii utar, *vagus Hercules*, qui totum terrarum orbem peragravit. Hoc quidem ita Herculi aptum, ut dubium eum muſcis facere queat.

Dicendum et de interpretationibus nominis, in Operum Hieronymi tomo I. p. 126. 155. 195. datis, ſub Beelzebul quidem, ſed quarum pleraeque, ad Beelzebub referendae. Καταπίνων μύιας, *devorans muſcas*, myiagros erit, avis muſcas capiens, cui ut deo litabatur: *habens muſcas*, et, *vir muſcarum*, explicationis non indigentia, ſed quae nemo probaverit: δαίμων βακηλώσεων, *daemon caſtrationis*, vel, *impotentiae*, forte ad ذبل *flaccidus fuit* relato nomine, niſi qui ita vertit, βάκηλον *mulieroſum* intellexit, ſic enim foret a ذبّ *furere*, quod et de furore venereo Arabibus uſitatum.

בעל זבול *dominus domus coeleſtis.*

Nomen principis daemonum (Matth. XII, 24. Luc. XI, 25.) plane Hebraicum, nec tamen in V. T. in quo rara daemonis mali mentio, ſed in ſolo Novo lectum, Matth. X, 25. XII, 24. 27. Marc. III, 22. Luc. XI, 15. 18. 19. Mirum videri poſſet, Thalmudis quoque et Rabbinorum uſu deſtitui, atque eſſe ſoli novo teſtamento privum: ſed

 ſeptem

septem quae citavi N. T. loca ad duas orationes redeunt in Galilaea habitas, forte ergo in ea sola regione erat usitatum. Graecis literis Βεελζεβοὺλ scribitur, quam lectionem Hieronymus, multique recentiorum, linguae, ut sibi videbantur, Hebraicae peritia in Βεελζεβοὺβ mutarunt, quod plane pro certo sumerent, idem nomen esse cum בעל זבוב 2 Reg. I, 2. Sed non solicitanda erat lectio constans omnium, qui hucusque consulti sunt, codicum graecorum, expressa quoque a patribus Graecis, e. g. Theophylacto, et versionibus, antiquis latinis ante Hieronymum (*), Saxonica, Gothica, Coptica, Syriaca recentiore, (quae et Syriaco ܒܥܠܙܒܘܒ in margine graecum Βεελζεβοὺλ adjecit) Russica, (quae magni momenti est) atque utraque Arabica, in polyglottis et ab Erpenio edita. Adpono literas Arabicas, quod versione latina polyglottorum deceptus Wetstenius Arabem ad lectionem Beelzebub retulit, بعل زبول. — — — Contra lectionem per B habent, Vulgata, ab Hieronymo mutata, quod בעלזבוב quis esset sciret, Beelzebulem ignoraret, ex qua et in Lutheri versionem, et ex hac in alias Europaeas transiit. Eandem conjecturam et Complutenses in textum receperunt, hi quoque, ut videtur, eandem ob caussam, ob quam Hieronymo placuit, plures enim ex illis Hebraice docti, et vel Judaei prosapia. In Syriaca antiqua nunc quoque legitur ܒܥܠܙܒܘܒ, sed vereor ut ab interprete sit, muscarum deum ܒܥܠܕܒܒܐ potius vocaturo, quod nomen, inimicum quoque significans, principi daemonum fuisset aptissimum. Sed de eo utcunque sit, hos paucos quis tanto omnium codicum Graecorum consensui opposuerit.

Jam

(*) In Blanchini evangeliario quadruplici, Vercellensis, Veronensis, Corbejensis, et Brixianus, L habent, *Beelzebul*, vel, *Velzebul*.

Jam ergo ipsum בעל זבול explicandum, aptum archidaemoni nomen et ex astrologia judiciaria translatum. Haec, ut notum omnibus qui ejusmodi libros aut superstitiose aut ridendi animo legerunt, caelum in XII DOMOS dividit, cuique domui unum ex planetis praeficiens, qui DOMINUS DOMUS vocabulo illius artis vocatur. זבול est, *habitatio*, maxime autem siderum, (vide nos infra de hoc vocabulo): proprie ergo בעל זבול *planeta*, *dominus domus caelestis*, ut, Venus domus virginis: hi autem planetae cum ab ethnicis, astrologiam intime cum cultu vanorum numinum conjungentibus, *dii*, a Judaeis dii gentium *mali daemones* haberentur, quid magis in promtu, quam principem daemonum, forte non unum omnium, sed tamen primarium alicujus ordinis, et reliquis praevalentem, *dominum domus caelestis* vocare? Jam et egregie lucebunt verba Christi, habebuntque aliquid allusionis et acuminis, εἰ τὸν οἰκοδεσπότην (רב הבית vel, ut est in evangelio Hebraico בעל הבית) Βεελζεβουλ (בעל זבול) ἐκάλεσαν.

Fuerunt non pauci, qui Βεελζεβουλ *dominum stercoris* interpretarentur. Non dubito, quin et ad hunc ignominiosum significatum, quem nomen ex ambiguitate habere poterat, Judaei alluserint, ubi illo in opprobrium utebantur: nisi tamen aliunde princeps daemonum Beelzebul vocatus esset, vix videtur a stercore nomen accepturus fuisse.

De domino, vel Baale, vel Jove muscarum, plane jam non cogitandum: daemon ille malus fuerit Judaeis, sed cur ex muscarum deo principem daemonum fecerint, nulla ratio adparet.

בעל פעור.

Historiam festi Baalfegori legens, Num. XXV, 1-9. numen fuisse intelliget, cui puellae virginitatem offerebant, festo die post sacrificia et convivia in honorem Dei ipsis eripiendam. Vide Jus Mosaicum T. II. p. 157. 158. T. V. p. 285-288. Fabulas seu potius mendacia

Judaeorum de eo collegit, et recte repudiavit Seldenus de diis Syris, Syntagm. I. cap. 5. quale vero numen fuerit, de eo parum adferens. Dictum putat a monte פעור: non inficias eo, quid si tamen mons Fegor potius ab idolo dictus sit, ibi culto? Nec etymo destituimur, Deo, cui virginitatem deponebant virgines, apto: פער, ut omnibus notum, est, *aperire*, nec ad os solum pertinens, sed et ad alia, e. g. florem, unde فَغْرٌ *rosa aperta.* Quid? si hic de aperiendis virginibus sumatur, i. e. de solutione hymenis? Erit, sive *Hercules cui virgines aperiuntur*, i. e. virginitatem ponunt, sive, *Hercules aperiens*, qualis ille, qui *una nocte quinquaginta constupravit virgines.*

בעל צפון Exod. XIV, 2.

Vide Seldenum de Diis Syris, Synt. I. c. 3. Rabbinica excerpentem, illisque adde indoctum Pseudojonathanis commentum; solum esse idolum Aegyptium ex omnibus relictum (quasi diceres, occultatum a plaga) indeque in maximo Aegyptiis honore habitum.

Primus quidem verisimilia de hoc et idololatrico et geographico nomine attulit Forsterus in literis ad nos datis, p. 28. צפון ei *Typhon*, Deus Aegyptiorum, plane ut צען urbs, *Tanis;* sic בעל צפון erit, *Baal Typhon*, mixto Phoenicio et Aegyptio nomine: geographice autem, ut hic sine dubio sumitur, Heroopolis, ubi Typhon fulmine percussus fertur. Vide ipsum et expende. Situs egregie concinit: illo enim ipso loco, ubi iter flectebant Israelitae, a laeva manu rubrum mare relinquentes, sita fuit Heroopolis, cujus nullam a Mose mentionem fieri incredibile: ac nisi jam tum fuisset in extremo sinu Heroopolis, potuissent Israelitae facile elabi, nec opus habuissent transire per mare, circuitu patente.

בעליס *Baalis* Jerem. XL, 14.

Nomen regis Moabitici, mihi perquam ſuſpectum, pro quo legendum puto בעלים, *clam.* Vide biblioth. Or. T. XVII. p. 180. 181. ubi cauſſas ſuſpicionis, teſtesque lectionis בעלים indicavi.

בצע * *collegit*, *abſolvit*, *ſecuit.*

Duo diverſiſſima adpellatione et ſignificatione verba בצע complectitur, quae Arabes punctorum diacriticorum ope diſtinguunt,

1) بصع *collegit*, *comportavit.* Hinc בֶּצַע *lucrum*, et verbum cum nomine conſtructum, בֹּצֵעַ בֶּצַע Hab. II, 9. *colligens lucrum*, ubi et interpretum aliqui propriam verbi vim expreſſerunt, Vulg. *qui congregat avaritiam*, et Syrus, ܘܝ ܠܕܥܒܕ ܘܠܕܟܢܫ ܒܝܫܬܐ ܠܢܦܫܗ *vae injuriam facienti, et colligenti mala ſibi ipſi.*

A colligendo Arabes faciunt, أَجْمَع *omnes*, *univerſi:* hinc jam בצע eſt, *abſolvere*, omnibus tanquam collectis *perficere* et finire. Sic Jeſ. X, 12. כי יְבַצַּע אדני את כל מעשהו *cum perfecerit dominus omne opus ſuum:* in quo loco vertendo veteres omnes conſentiunt. Vide et LXX בצע per συντελεῖν vertentes Jerem. VI, 13. Thren. II, 17. Ezech. XXII, 12. 13. Joel. II, 8. Prov. I, 19. quibusdam locis recte, aliis ſecus.

2) بضع *ſecare*, *amputare*, quae notiſſima Hebraeorum lexicographis ſignificatio.

בָּצַר *vidit*, *ſpectavit* metallum.

Verbum, ut ſaepe accidit illis qui צ radicale habent, duplex, adpellatione et ſignificatione diverſum: habet enim

1) ſignificationem Aramaeis uſitatam, *ſecandi*, *praecidendi*, *minuendi*, de qua dicere non opus, quod in lexica recepta eſt.

2) Ara-

2) Arabici verbi, بَصَرَ *vidit*, qua lexica carent. Sic vix dubito quin accipiendum sit, mutatis punctis, Jerem. VI, 27. *exploratorem te posui* בְּעַמִּי מְבַצֵּר *inque populo meo spectantem* i. e. *probatorem, qui spectet probum metallum distinguatque ab adulterino*; de quo in sequente versu sermo. (Vide supra sub בחן). Certe quod alii habent, punctatorque masorethicus מִבְצָר *munimentum*, a serie praecedentis membri et versus sequentis abhorret: castello enim quid cum metallo probo a scoriis secernendo? Eandem spectandi metalla significationem agnoverunt jam et praeiverunt LXX, licet aliter ea utentes construentesque: δοκιμαστὴν δέδωκά σε ἐν λαοῖς δεδοκιμασμένοις, (בְּעַמֵּי מְבֻצָּר *in populis explorationis*) καὶ γνώσῃ με ἐν τῷ δοκιμάσαι με τὴν ὁδὸν αὐτῶν. Ab hac significatione et puto

בצר *aurum*, Job. XXII, 24. 25.

dictum esse, *spectatum* i. e. *purissimum aurum*. In magno quidem explicationum divergio *aurum* tamen, ut loco egregie aptum, lectori adridebit, (vide notas ad versionem germanicam): solum etymon deerat, quod jam in *explorando spectandoque* invenisse mihi videor. Ipsissimam phrasin habet Ovidius, *fulvum spectatur in ignibus aurum*.

Mirum tamen, nullum ex veteribus hic aurum praeivisse: ἐν πέτρᾳ LXX, ב pro praefixo habentes, (בְּצַר) *filicem* Vulgata, (nempe بصر sunt *lapides candicantes*) Syrus, *argentum*. Nempe rarius hoc auri nomen erat, ac poeticum, reliquis linguis Orientalibus ignotum.

Huc et referendum erit

בִּצְרֵי

quod Ps. LXVIII, 31. solus quidem habet codex Kennicotti 133, sed ex antiquis, LXX δεδοκιμασμένους τῷ ἀργυρίῳ, Vulg. *qui probati sunt argento*, Symmachus, εὐδοκήτους ὄντας ὡς δοκίμιον ἀργυρίου, Chaldaeus, *in lege, quae purior est argento*. Ex hac lectione, testes sane

non

non poenitendos habente, בְּרֻצֵּי כָסֶף erunt, *spectatum in igne et purissimum argentum.*

מִבְצָרִים *spectacula*, Dan. XI, 39.

מִבְצָר alibi sine dubio *munimentum*, *castellum*, sed haec significatio vix apta loco, quem citavi Danielis, maxime, si מָעֻזִּים, quorum deum colebat Antiochus Epiphanes, *asyla* sunt, *Daphne* asyli jure celeberrima, ne muris quidem cincta, sed pagus. Nec uspiam relatum legimus, Antiochum Epiphanem muniendis urbibus aurum omne et argentum impendisse. At eundem ingenti sumtu *spectacula* dedisse novimus, ambitiosissima, et ostentatis quoque simulacris deorum splendidissima: ergo historiae magis erit consentaneum, *spectacula*, vertere: *Deum quem non noverant patres ejus honorabit auro, argento, gemmis, pretiosisque omnis generis, impendetque spectaculis Daphnicis, Deoque peregrino.* Vide plura in notis ad versionem Danielis. Munimentum si praeferas, de castello Sioni monti a Syris imposito sermo erit.

בִּצֹּרֶת et בַּצָּרָה plur. בַּצָּרוֹת Jerem. XIV, 1. XVII, 8. Ps. IX, 10.

Jerem. XIV, 1. ἀβροχίαν (defectum pluviae) ut LXX vertunt, *siccitatem* ut Vulg. בצרוֹת esse, ipsa res clamat, (vide v. 3-6.): vocabulum habent Aramaei eodem significatu, unde Chaldaeus retinuit, בּוּצְרְתָא, Syrusque, distinctius etiam, ܒܘܨܪܐ ܕܡܛܪܐ *defectus pluviae.* Ortum est ex altera verbi בצר significatione, *praecidendi*, indeque *minuendi*, (non, ut volunt aliqui, a *cohibendo*). Chaldaeis quidem בצר est, *minuere*, saepe pro גרע positum, (vide Buxtorfii lexicon). Syris, ܒܨܪ *deminutus fuit*, *defuit*, ܒܨܪܐ *defectus*, ܒܘܨܪܐ *decrementum*, *res minima*, ܒܨܝܪ sensu arithmetico, *minus*, e. g. *annus* ܒܨܝܪ ܡܢ ܬܡܢܝܐ ܝܘܡܝܢ *minus octo diebus.* Samaritanis quoque בצר *minuit.*

Eodem refero בַּצָּרָה Pſ. IX, 10. nec vero defectum pluviae, ſed *penuriam aquae* in deſerto intelligens; עתות בצרה erunt, *infortunia defectus aquae* in ſiticuloſo deſerto. Videtur David cum exercitu in deſerto excluſus Palaeſtina aliquando ad ultima ſiti redactus fuiſſe. Vide notas ad hunc pſalmum, et ad quadrageſimum quartum.

בקע Jeſ. XXXIV, 15. Pſ. LXXVIII, 13. CXXXVI, 1[illegible]

בקע *findere* de ovis quoque poni, quibus ruptis parvuli excluduntur, Jeſ. LIX, 5. dubio caret. Hanc ſignificationem Bochartus ad Jeſ. XXXIV, 15. transfert, (hieroz. P. II. libr. III. c. 11.) recte quidem, ſi קפוז *ſerpens eſt jaculus*, ova pariens: ſed malus logicus ex verbo בקע argumentum petit, et vero primarium, cur קפוז eſſe nequeat, ut veteres prope omnes interpretati ſunt, *hericius*, quippe qui ova non pariat. Hoc quidem ille pro more ſuo, parum expendere ſolitus, quae pro altera ſententia dici poterant, fuerantque dicta: nec ſane, qui hericium hic verterunt, LXX, Arabs, Syrus, Chaldaeus, Latinus, tam fuerunt ſtipites, ut hericios ova parere putarent, ſed aliae ultro ſe offerebant verbi ſignificationes, hericiis aptae.

1) Findere inter alia et eſſe poteſt, *fodere*, ſic acceperunt Syrus, ܐܬܒܩܥܬ ܘܚܦܪܬ *enixa eſt, et fodit.* Sic erit *effodere locum ubi ſub umbra lateat hericius ejusque ſoboles.*

2) Cum Arabes a بقعة *vallis*, denominativum faciant, بقع *abire in vallem*, poſſit et hic de abitu in umbroſa loca aut ſpecus intelligi, *abibit, et fugiet in umbram ejus.*

Jam hae explicationes utrum praeferendae, an Bochartiana, *ova rumpere*, tum demum judicari poterit, ubi ad קפוז perventum, et expenſum fuerit, hericiusne ſit an jaculus? Sex quidem codices קפוד habent, quod hericium ſignificare ipſe conceſſit adſtruxitque Bochartus.

Quid

Quid ſibi voluerint LXX, τὰ παιδία αὐτῆς, vertentes, conjicere audax ac temerarium, niſi Arabem haberemus, graeca vertentem, qui hic Hebraicas prope literas بقاعها *vallem ejus*, reddidit. Ergo πεδία in Graecis legit, hoc orationis filo, *ibi nidulatus eſt echinus*, καὶ ἔσωσεν ἡ γῆ τὰ πεδία αὐτῆς μετ' ἀσφαλείας; בקעה non pro verbo ſed nomine בִּקְעָה (*planities*) LXX habuerunt. — — Chaldaeus, דגרה ſequens pro nomine habens, vertit, קוריהון ינצפון בטולה *perdrices eorum garriunt in umbra:* garriendi aut pipiendi ſignificationem unde arripuerit, haud mihi conſtat.

Ad Pſ. LXXVIII, 13. CXXXVI, 13. ubi de fiſſo mari rubro ponitur, ne putes, refluxui id maris naturali obſtare, vide infra ſub גזר notanda.

בקק *effudit, evacuavit.*

Ea magnopere damnans, quae ex audaciſſima conjectura, nullo linguarum Orientalium uſu, de hoc verbo Coccejus habet, pleriſque accedo lexicographorum, *evacuavit* vertentibus: qui ſignificatus non ſolum locis Jeſ. XXIV, 1. Jerem. XIX, 7. LI, 1. Nah. II, 3. egregie aptus eſt, ſed et ex lingua Arabica confirmatur. Habet ea primo quadriliterum ſonum naturalem exprimens, بقبق *bombum edidit amphora, dum affatim ex ore anguſtiore effluit, vel per illud infunditur aqua*, (unde Hebraeis בַּקְבּוּק *lagena*, Syriſque, exigua literae palatinae mutatione, ܩܘܩܒܐ et *lagena*, et *murmur*) deinde varii uſus triliterum, بقّ *multam effudit pluviam* coelum, ac figurate, *multam ſobolem peperit*, *multiloquus fuit* q. d. effudit omnia. Ab effundendo evacuare dicitur, quamquam primo loco, Jeſ. XXIV, 1. propriae adeo ſignificationis tenax vertere ſoleo: *effundet Jehova regionem, aperiet eam, et invertet* (vel incurvabit, ab utre aut ampulla petita imagine), *et diffluere faciet incolas ejus.* — — Caeterum ex veteri-

bus

bus *evacuandi* significationem clarissime expressit Chaldaeus Jerem. LI, 2. ירוקנון, ex quo et Raschi, eodem servato verbo, in commentarium ad Jes. XXIV, 1. Kimchiusque in lexicon recepit, unde in nostra lexica fluxit. Eodem referendi videntur, qui *spoliare* verterunt, ut Chald. in Jesaia, Hosea et Nahumo.

Ex eadem, non evacuandi, sed effundendi significatione, figurate accepta, expediendum Hoseae dictum c. X, 1. גֶּפֶן בּוֹקֵק. *Vitis effundens*, est, *palmitibus foliisque luxurians*, *nimis frondosa*, quod statim ad Israelitas ita transfertur: quo ditiores sint, quo foecundiores agros arent, eo plures aras struere, et pulcriores statuere deorum imagines. Sic, rei summam si spectes LXX εὐκληματοῦσα, Symmachus ὑλομανοῦσα, et Syr. ܓܦܬܐ ܕܦܣܩܐ *vitis palmitum*. Sic supra et de multa sobole verbum ponere Arabes monitum.

Mira tamen, fateor, in hoc verbo veterum divergia. *Vastandi et perdendi* ei significatum tribuerunt, ut Jes. XXIV, 1. LXX. καταφθείρει, Vulgata ante Hieron. *corrumpit*, Arabs يُفْسِدُ Syrus, ܡܚܒܠܐ: Jerem. LI, 2. λυμανοῦνται, Vulg. *demolientur*, eodemque referendus et Syrus Jerem. XIX, 7. ܐܒܛܠ *cessare faciam*, vertens. Hi forte cum בוק (pag. 161.) idem esse putarunt, nec negem ab eo verbo et nostrum mutuare significationem potuisse, Syris certe sua quoque lingua, *putris et fragilis* est ܦܣܝܣܐ Sap. XIV, 1. — — LXX. ἐκτινάσσειν vertunt Nah. II, 3. 11. *dissipare*, Chaldaeus Jerem. XIX, 7. et Vulgata ibidem, ac Jes. XXIV, 1. Nah. II, 3. 11. Forte et hoc ex בוק sumtum. — — Syrus Jerem. LI, 2. ܢܕܘܫܘܢ conculcabunt, forte quod יבססו legebat: denique nescio unde, sententia valde impedita, LXX σφάξω τὴν βουλὴν Ἰούδα Jerem. XIX, 7.

בוקר

בּוֹקֵר *greges alens vel pascens.*

בוקר Amos VII, 14. obvium, recentiores *bubulum* verterunt, male illi quidem, cum Amosus non boum, sed ovium pastor fuerit, sitque utrumque vitae genus valde diversum. Hac ergo versione repudiata Pater meus in *diss. de vaticinio Amosi* §. 13. generatim *pastorem* interpretari malebat, a בקר *quaerere, inspicere*, sic dictum, coll. Ezech. XXXIV, 11. 12. כבקרת ערן בן אבקר את צאני *quemadmodum quaerit* i. e. inspicit, curat, *pastor gregem suum, ita et ego oves meas curabo*. Recte quidem ille, ut mihi videtur, addoque Syris ܒܩܪܐ generatim *gregem* esse, ut Marc. V, 11. ܒܩܪܐ ܪܒܐ ܕܚܙܝܪܐ *grex magnus porcorum*. Ergo ab inspiciendo et quaerendo dictus primo videtur *grex*, בָּקָר, idque nomen deinde κατ᾽ ἐξοχὴν in bobus haesisse, ut alterum מִקְנֶה in ovibus. Ex veteribus quidem recte generatim vertit Syrus, ܪܥܝܐ *pastor*, et specialius Chaldaeus, פריגיתי i. e. *Nomas*. Caeterum Vulgatam, quae *armentarium* habet, non reprehendendam existimo, potest enim nomen latius, non de bubulco solum, sed et de pecuario accipi, vide Virgilium Georg. III, 344. ubi res ipsa, et versus 342. de Nomade pecuario sermonem esse clamant. LXX. αἰπόλον, *caprarum pastorem*, verterunt, non, *ovium*, quod נקדים c. I, 1. aliter scriptum reperientes, נקרים, pro nomine proprio habuerunt, ἐν Νακκαρεὶμ, seu, ut nunc prave legitur, ἐν Ἀκκαρειμ: id tamen liquet, בוקר ex eorum sententia non ad solos bubulcos pertinuisse, sed omnes complexum pastores esse.

בֹּקֶר *mane.*

Reliquis linguis Orientalibus sub hac significatione non usitatum, videtur cum Arabum بكر conferendum, literis ejusdem organi permutatis. بُكْرَة *diluculum*, إِبْكَار *matutinum tempus*, a بَكَرَ

 prae-

praecessit. Sic ut Hebraeis ערב et בקר sunt opposita, ita Arabibus, أَلْعَشِيِّ وَٱلْإِبْكَارِ Coran. Sur. III, 36. &c. &c. بُكْرَةً وَأَصِيلًا Sur. XLVIII, 9.

ברא *creavit.*

De vi propria verbi multa disputata sunt, quod illa pertinere ad quaestionem theologicam et philosophicam de creatione mundi ex nihilo, et materia aeterna praeexistente, videretur. Fuerunt non pauci, qui ברא proprie *creationem ex nihilo* significare statuerunt, auctoritate usi Maymonidis, quasi vero ejus in ejusmodi quaestione ulla possit esse auctoritas. Vide omnino Beausobrium in historia Manichaeorum (histoire de Manichée et du Manichéisme) Tom. II. libr. V. cap. 4. qui inter alia monet, Genes. I, 20. 27. sine dubio de creatione ex materia poni, quae jam fuerat, animalium hominumque *ex terra.* Prima quidem et propria significatio cum hujus, tum ullius verbi cujuscunque linguae, ne potest quidem esse, *creare ex nihilo*, idea plane metaphysica et abstracta: omnes enim primitivorum primae significationes in sensus incurrunt, ut monstrari etiam possint, eaeque deinceps ad res sensibus non obvias et metaphysicas transferuntur.

Mihi quidem verbi ברא, ut Latini *creare*, prima vis in *creandis liberis*, i. e. gignendo et pariendo esse videtur: sic quidem occurrit Ezech. XXI, 35. *in terra* אשר נבראת *in qua natus es*, et forte Ps. CIV, 30. ubi certe de creatione aut de miraculo sermo esse nequit: *emittis halitum tuum*, *creantur*, i. e. vere, spirante zephyro, nascuntur: (quamquam ibi mallem יבראון legere, vide pag. 150.). Id quidem certum, Chaldaeos hunc significatum habere: e. g. הֹרָה גָּבֶר Job. III, 3. Chaldaeus vertit, אִתְבְּרָא גְּבַר. Hinc aut בַּר filius dictus, aut verbum ברא denominativum est a בר. Hoc etymon si displicuerit, vide aliud pag. 215.

Jam, ut Latinum *creare*, ad Dei opera immediata, quibus novi aliquid producit, (non ſemper ex nihilo) transfertur: eandemque ſignificationem apud Arabes Syrosque habet. De aliis quoque immediatis Dei operibus, miraculis, poni videas Exod. XXXIV, 10. Num. XVI, 30. (niſi hic lectio per Daleth, יברא *praeferenda*).

בָּרָא ex ברה *ſecare* ortum.

בָּרָא in Piel, nonniſi Joſ. XVII, 15. 18. Ezech. XXI, 24. XXIII, 47. obvium, permutatione literarum א et ה ex ברה ortum videtur, diſſentientibus tamen inter ſe antiquis, partimque probabilia adferentibus, ut negligi nequeant. Arabibus quidem بَرَا pro بَرِو eſt,

1) *ſecuit*, ex qua ſignificatione Joſ. XVII, 15. 18. erit, *caedere ſilvam*, (*ſuccides tibi ſilvam* Vulg.) et Ezech. XXIII, 47. בָּרֵא אותהן בחרבותם *ſecare eas gladiis ſuis*, crudele Chaldaeorum ſupplicium, membratim reos ſecantium. (Vide patris mei diſſ. de ſuppliciis capitalibus §. 23. meamque bibliothecam Orientalem T. IV. p. 29.) Hanc quidem verſionem egregie confirmat locus parallelus Ezech. XVI, 40. ubi pro ברא ponitur, בתק quod verbum vide infra: praeivitque eam Chaldaeus, יבזעון *diſcindent eas gladiis*. Reliqui generaliore verbo uſi, LXX. Vulg. Ar. *confodiendi*, Syrus, *percutiendi* (ܨܡܢܐ).

2) *aſciare*, *exaſciare*, unde et بَرَّاءٌ *qui aſciat*, بَرَأَتْ *trabes exaſciatae* 1 Reg. VII, 3. مِبْرَاةٌ *aſcia*. Hic ſignificatus egregie aptus loco Ezechielis, XXI, 24. (al. 19.) ויד ברא בראש דרך עיר ברא *viae indicem forma* (proprie exaſcia), *inque fine viae urbem forma*.

Poſſis adeo ſuſpicari, ברא *creare*, ab *aſciando* et *formando* dictum, ut apud Arabes خلق *efformavit*, *creavit*: quam inter derivationem, datamque p. 214. ambigere poſſis.

De

De veteribus, quos valde diſſentire diximus, ſic habe:

1) Chaldaeus Joſ. 17. התקן *para tibi;* et Theodot. Ezech. 21. ἑτοιμάσαι. ברא *creare* poni putarunt pro *parare*.

2) LXX et Arabs in Joſua, ἐκκαθάρισον σεαυτῷ, تَنَقَّ لك موضعا *purifica tibi locum*, (nempe purifica a Cananitis, his deletis aut pulſis). Vulg. *ſuccides tibi ſilvam et purificabis ad habitandum:* (utraque conjuncta ſignificatione). His quidem ברא et ברר idem viſum, pro qua ſententia dici poteſt, Arabibus quoque بَرِئَ ſignificare, *innoxius fuit*, et بَرَآءٌ *immunem a crimine*. Veriſimilior fiet explicatio, ſi addas, بَرِئَ et, *liber fuit*, بَرَّأَ *liberavit*, بَرَاءَةٌ *libertatem* ſignificare: poſſis ergo vertere, *liberare terram*, *liberare ſilvam* a Cananitis.

3) Ad puritatis notionem redire videtur, quod Syrus *eligere* vertit, in Joſua ܓܒܘ *eligite*, et Ezech. 21, ܓܒܝܬܐ *manus electa ad initium viae urbis electae.* Placuit recentiorum quibusdam, mihi diſplicet.

4) Vulgata Ezech. 21. *ex manu capiet conjecturam, in capite viae civitatis conjiciet:* nullo linguarum orientalium uſu.

5) Aquila et Symmachus, Ezech. 21. κεντεῖν, *pungere*. Transtuliſſe ſignificationem ex c. XXIII, 47. videntur.

הבריא *ſaginare*, בָּרִיא *pinguis*.

Certa, ſed mira ſignificatio, tantopere a reliquis, quas ſub literis ברא habemus, diverſa. Mihi quidem videtur בריא hic ortum eſſe ex מריא, *ſaginatus, cui bene concoctus profecit cibus*, (confer Arab. مَرِئَ) mutato pro Arabum more ב in מ.

Significatione certa et manifeſta, quaeri poſſe video, quid cauſſae ſubſit, cur LXX. raro *pinguedinem* ipſam exprimant, ut Ezech.

XXXIV,

XXXIV, 3. τὸ παχὺ ἐσφάζετε, plerumque aliam cognatam notionem substituentes. Sic quidem

1) saepe ἐκλεκτος *electus*, *eximius*, vertunt, ut Genes. XLI, 2. 4. 6. 7. 18. 20. 3 Reg. IV, 23. Habac. I, 16. Zach. XI, 16. Quod facientes, ad radicem ברר retulisse videntur, בַּר et ברור ἐκλεκτὸν vertere soliti. Vide de בָּרָא scripta pag. 216. num. 2. 3.

2) Jud. III, 17. ubi sine dubio de obesitate vel nimia sermo, ἀστεῖος. Volueruntne pulcritudinem ab exasciando? (pag. 215.) dici?

3) 1 Sam. II, 29: ἐνευλόγεῖσθε, pro הבריאכם forte legentes aut conjicientes, הַבָּרֵךְ.

Alia omitto, quorum aut ratio in promtu, aut a me reddi nequit, ut Ps. LXXIII, 4.

בְּרִיָּה *pinguis*.

Semel occurrit Ezech. XXXIV, 20. manifesta pinguedinis significatione, collato v. 3. Suspicor autem, aliis punctis instruendum esse בְּרִיָּה (Jod post I Dagesch accipiente, et Aleph more Chaldaeorum omisso) aut cum tribus Kennicotti codicibus בריאה legendum. Prius praeplacet.

בָּרָא et בָּרָה *comedit*. (*Elegit?*)

De significatione *comedendi*, inque Hiphil, *cibum praebendi*, dubitari nequit, locis inspectis, quae lexicographi adferre solent: suppetias quoque ferente lingua Chaldaica, cui אֲבָרֵי est, *comedit*. Vide Buxtorfium p. 353. lex. Chald. plura daturum. Incertius etymon, duplici se offerente, utroque bono,

1) a מרא, Ar. مَرَأَ, *juvit*, *profecit cibus*, unde pag. 216. בריא deduximus.

2) a ברה Arab. بَرَا pro بَرو *secuit*, unde et مَبْرَأ (per Hamza

Hamza ſcriptum) *culter*: ut ſit, cibum ſecare, ſibi vel aliis, fere ut alias *frangere panem* Hebraei dicunt.

Utroque autem modo per Aleph et He ſcribitur: per Aleph 2 Sam. XII, 17. (ſed cum varia lectione codicum editionumque) reliquis locis per He, uno tamen codice 2 Sam. XIII, 5. בריאה habente. Facit haec duplex ſcriptio pro derivatione a بري.

Quam ei ex 1 Sam. XVII, 8. tribuunt *eligendi* ſignificationem, ea ſolis punctis nititur. Equidem malim ברו ibi lectum ad ברר referre, quod vide.

בָּרוּת *cibus*, Pſ. LXIX, 22.

Sic recte vertunt ἅπαξ λεγόμενον lexicographi, a praecedente ברה, praeeuntibus LXX, Ar. Vulg. Symmacho, Chaldaeo, Syro.

Vix opus hoc dictu, niſi dubitabile quodammodo vocabulum faceret parallelismus ſequentis membri, *et in ſiti mea porrigunt mihi acerba vina*: quem ſpectans, forte malis בברותי eſſe, *in fame mea*, collato Arabico بري *extenuavit*, *defatigavit*, extenuatione a reſecando dicta. Verum minus firmum in parallelismo argumentum, ob diverſam cum ב et ל conſtructionem, בברותי et לצמאי.

בְּרִית *foedus*.

Damnanda Cocceji etymologia a ברה *elegit*, quem ſignificatum dubium eſſe vixdum diximus: unice vera Simoniana a ברה ſecuit, quod in percutiendis foederibus victimae diſſecarentur, unde et phraſis כרות ברית q. d. *ſecare ſectionem*, pro, percutere foedus.

Eſt, ubi ברית *foedus*, de *ſtipulatione ſalarii*, poni videtur, Num. XVIII, 19. ברית מלח עולם *ſtipulatio ſalarii aeterna*: niſi malis ברית efferre, de quo infra. Vide commentationem de nitro Hebr. §. 9. Eodem modo et de Levit. XXIV, 8. 9. ambigere poſſis, ſitne: *ſtipulatio aeterna ab Iſraelitis, quae ſacerdoti cedet?* an, בְּרִית *cibus vel pa-*

nis

nis purus, ab Israelitis deo offerendus. Opinabilia hic, non certa ponere censeri velim.

De בריה Jes. XLII, 6. XLIX, 8. quibus locis parum apta foederis significatio, vide comment. de nitro §. 5. aut infra, בְּרִית.

ברח *fugit*, pr. *laevum latus obvertit*.

Fugiendi significatio notissima, et vera, sed uni loco Exod. XIV, 5. inepta. Pharaoni, qui Israelitis abitum non permiserat modo, sed eos exire coëgerat, quomodo post dies aliquot narrari poterat, Israelitas *fugisse?* et vero, cum non in Asiam transirent, sed in Africano litore maris Erythraei haererent, aut fame in sterili deserto interituri, aut facilis, si insequi eos luberet, praeda?

Facile haec expediet lingua Arabica, cui برح *fugere*, primo est, *obvertere latus sinistrum*. Hinc fuga dicta, quod fugiens hosti latus sinistrum, clypeo tectum, obvertit, non dextrum gladio armatum, non faciem. Sic Latini, *terga vertere*. Jam et Mosen intelliges: ad dextram relicto extremo sinu Heroopolitano in Asiam eundum fuisset Israelitis, sed jam illum a sinistra relinquentes, ad litus Africanum se verterant, ubi nihil praeter immensa, et aqua carentia, deserta (v. 3.) ipsa Heroopoli, Asia exclusi. Jam ergo verte: *nuntiatum est Pharaoni, quod populus sinistrum latus obvertisset mari Erythraeo.*

נחש בריח *draco septentrionalis*.

Bis nomen occurrit, Job. XXVI, 13. Jes. XXVII, 1. in quo, licet vera sententia et facili jam dudum dicta, mire laborarunt interpretes. In terrarum orbe, inque inferis, serpentem *Bariach* quaesiverunt, qui in coelo quaerendus erat. Hoc quidem ex utroque loco patet. In Jesaia quidem tres serpentes, magnorum regnorum imaginem sustinentes conjunguntur, 1) נחש בריח 2) נחש עקלתון 3) התנין אשר בים. Jam cum in frequente serpentum mentione, nunquam aliquod

terreſtrium genus עקלתון et בריח vocari videamus, in coelo autem tria omnino ſidera ſint, ſerpentis nomen habentia, quis non videat, ſeu potius, quem non oportebat videre, Jeſaiam de ſideribus loqui? In Jobo praeceſſerat: *ejus numine coelum aurora rubet: et manus ejus occidit ſerpentem Bariach*, ipſo nos filo orationis ad aliquem in coelo ſerpentem deducente.

Sunt vero, ut dixi, tres in coelo ſerpentes,

1) *draco borealis*, qui labitur, ut Ciceronis verbis dicam, *inter perque duas in morem fluminis Arctos*,

2) *ſerpens Ophiuchi*, in medio fere coelo,

3) *hydra*, auſtralis illa hemiſphaerii.

Eadem ſidera et Arabibus ſerpentes vocari, diſces ex Thomae Hyde notis ad Ulughbeighi tabulas fixarum, pag. 13. 24. 62. Ex his quidem hydram manifeſte jam habemus ſub nomine, *draconis qui eſt in mari:* primusque, נחש בריח *ſerpens* erit *ſeptentrionalis*. Nempe בריח proprie, *laevus*, *ſiniſter*, hinc, *borealis:* Orientalibus enim, in geographia facie ad Orientem verſa, ad dextram Auſter, ad ſiniſtram ſeptentrio. Vide patris mei diſſ. *de antica, et poſtica, dextra et ſiniſtra Hebraeorum.* Sic quidem, ut ex Hydio ad Ulughbeighi tabulas pag. 9. 10. 16. diſces, polus Arcticus dicitur, قطب شمالىّ *polus ſiniſter*, ſtella polaris, كوكب شمالىّ *ſtella ſiniſtra*, corona borealis, اكليل شمالىّ *corona ſiniſtra.* Quin ipſum بَارِح ut Golius ex Abuzaid excerpſit, *ventus eſt calidus, quod aeſtate flat a ſeptentrione.* Nempe Arabiae Felici ſolſtitiali tempore ſol a ſeptentrione eſt, unde fit, ut ventus Samum a ſeptentrione ſpiret. Praeiverunt dudum ſententiam aliqui ex Judaeis, qui teſte Kimchio ad Jeſ. 27, תלי, *ſidus draconis*, interpretati ſunt, ſed aliud ſpectantes etymon: שהוא מבריח מן הקצה אל הקצה, *quod ab una coeli extremitate ad alteram*

am pertransit. — — De Jesaiae loco nil dicendum restat: in Jobo describitur illucescens mane dies, *jussu Dei coelum aurora rubescit, et draconem borealem disparere facit manus dei.* Una nempe post alteram stellā disparet, serius boreales, ultima Veneris.

Aliud sidus, *viam lacteam*, intellexit Ralbag, forte ex eodem, quod vix dum aliis placuisse dixi, etymo, quod totum coelum transeat. Veri dissimillime ille quidem, cum via lactea serpens vocari astronomis non soleat.

Veterum interpretationes, uniusque, quem tacitum praeterire nolo Bocharti, his dispescendae classibus.

1) Ex בְּרִיחַ, *vectis*, fuerunt, qui *serpentem vectem* interpretarentur, ea imaginum compositione, et constructione substantivi cum substantivo, quam placere post illos Bocharto potuisse, mirandum. Praeivit in Jesaia Aquila, ὄφις μοχλὸς, eodemque referendus Symmachus, utrobique habens, ὄφιν συγκλείοντα *serpentem claudentem.* Forte serpentem intelligebat, ita fascinantem praedam, ut evadere nequeat, quod de nonnullis serpentum generibus narrari solet: sed multo hanc interpretationem deteriorem ornando fecit Hieronymus, qui ad Jesaiam, *vectem*, inquit, *sive claudentem puto appellari Satanam, quod multos suo carcere clauserit, et propriae subjecerit potestati.* Monstrum male compostae imaginis.

Hunc *serpentem vectem*, suum fecit Bochartus, T. II. hierozoici libr. V. c. 13. *Zygaenam*, cetaceum piscem interpretatus, quem vectem figura referre putat, delineatione addita, ut lectores judicare possint. Tu si imaginem monstri videre cupis, uberioremque legere descriptionem, confer *Francisci Willughbei* historiam piscium, l. III. c. 7. 8. et tabulam aeneam. B. 1. Obstat praeter inconditam phrasis compositionem, quod zygaenam nemo נחש *serpentem* vo-

 cave-

caverit, ut oculis ſuis facile judicabit, ſi quis vel Bochartianam delineationem inſpexerit. Adde, zygaenam loco Jobi plane ineptam eſſe, cui conſulturus Bochartus, *inſigne*, inquit, *aliquod ſidus hujus nominis apud Syros fuiſſe, ex Jobo colligo.* Sidus ſi volebat, cur id fingebat zygaenae nomine? non eum, qui eſt, ſerpentem ſeptentrionalem accipiebat?

2) Ad ברח *fugere*, retulerunt, LXX. in Jeſaia, *δράκοντα, ὄφιν φεύγοντα*, in Jobo, *δράκοντα ἀποστάτην*, vertentes, inque Jobo Syrus ܚܘܝܐ ܕܥܪܘܩ *ſerpentem qui fugit.* Diabolum, ſerpentem apoſtatam, intellexiſſe videntur, ſicque Ephraemus Syriacam verſionem interpretatur. Vix opus dictu, cur diabolum viciſſim refugiam, cujus in Hebraico codice rara mentio, atque nec Jeſaiae nec Jobi loco aptum.

3) ܥܩܪܒܐ diriſſimum ſerpentum genus, ipſum adeo reguſum, Syrus in Jeſaia vertit, forte *laevum*, ut ſaepe fit in ipſa radice برح apud Arabes, pro *noxio*, *malo*, *diro*, poni putans. — — Hic quidem etymon ſi ſpectes, proximus Schultenſio, *ſerpentem ominoſum* vertenti, ita vero, ut diabolum intelligat.

4) Plane nulla veri ſpecie, ne etymologica quidem, Vulgata in Jobo *tortuoſum ſerpentem* habet, (ſibi ipſa contradicens, cum in Jeſaia ſerpentem vectem a ſerpente tortuoſo עקלתון, diſtinguat:) *mordentem*, Chaldaeus in Jobo, *robuſtum* Theodotion in Jeſaia.

ברך

Verbum ברך, quod Arabibus, Syris, Chaldaeis eſt, *genua flexit*, denominativum puto a בֶּרֶךְ *genu*, non genu a genuflexione dictum. Hebraeis quidem hac ſignificatione in ſola conjugatione Hiphil occurrit, הבריך, *procumbere fecit* camelos &c.: ad eandem tamen et בְּרָכָה pertinere videbimus.

Piel,

Piel, בֵּרַךְ *benedixit*, suspicor proprie esse, *in genua procumbere jussit*, significatumque benedicendi, omnibus communem linguis orientalibus, inde accepisse, quod in solemniore benedictione genua flecteret is, cui benedicebatur. Translatum deinde ad omnes omnino benedictiones. — — Aliter Simonis, inverso rei ordine, dictam existimans benedictionem, quod salutantes in genua se submitterent: invita ille quidem grammatica, et contra transitivam conjugationis Piel significationem. Magis etiam displicet, quod contra analogiam linguarum, Arabicum برخ *humilis fuit*, confert, quasi vero برك *genua flexit*, non sufficeret.

בְּרָכָה *salutatio*, *munus*.

בְּרָכָה non benedictionem modo, sed et *munus* significare, *quod alter alteri offert*, notum: Genes. XXXIII, 11. 1 Sam. XXV, 27. XXX, 26. Addo etymon, usumque Syrorum. Honoratiores qui adeunt, in Asia munus offerre solent, hinc ברכה, *salutatio*, etiam de munere ponitur, quod salutantes offerunt: quali de munere Genes. 33. 1 Sam. 25. sine dubio sermo. Syri eandem phrasin habent: chrestomath. p. 115. *cum fideles* (Barhebraeum adeuntes) *fasciculos argento plenos* ܐܝܟ ܕܒܘܪܟܬܐ *muneris more in manum ejus deprimerent*, ubi de salutantium munere manifeste ponitur; et latiore usu, Ephraemus T. I. p. 68. ad Genes. XVIII. *tantam panum et carnium copiam obtulit, non ut angelorum famem expleret, sed* ܕܒܘܪܟܬܐ ܠܟܠܗܘܢ ܠܒܢܝ ܒܝܬܗ ܢܦܠܓ ܗܘܐ *ut munera domesticis suis omnibus daret*.

Hinc forte explicandum Prov. XI, 25. נפש ברכה *anima munifica*, cujus loco in sequente membro est מַרְוֶה *rigans*, sive adeo, *inebrians* i. e. *largum aliis potum praebens ipse potabitur*.

בְּרֵכָה *piscina, stagnans aqua.*

Arabibus بِرْكَة *piscina, aut simile conceptaculum aquae, pec. stagnantis*, Golio: unde et in linguam Hispanicam *Alberca* transiit. Dicta videtur, quod ad illam cameli procumbunt, stationesque nocturnae esse solent iter facientium, quale camelorum humi decumbentium agmen بَرْك Arabes vocant. Nec solae arte factae piscinae Arabibus بِرْكَة dicuntur, sed et stagna, minora, quin et λίμνη Arabs Erpenianus Apoc. XIX, 20. بِرْكَة reddidit: hinc بُرْكَة anates, aliaeque aves aquatiles.

ברעה, בְּרִיעָה, ברע 1 Paral. VII, 23.

In loco 1 Par. VII, 23. ויקרא את שמו בְּרִיעָה כי בְרָעָה היתה בביתו satis quidem convenit interpretibus, ב praefixum esse, verbaque vertenda, *vocavit nomen ejus Beria, quoniam malum evenerat domi ipsius:* mihi tamen res suspecta, ac ב potius radicale videtur. Primo enim, *malum evenerat domi ejus* sine praefixo dicendum fuisset רעה היתה בביתו: deinde puer post magnum natus infortunium, non cum Jod בריעה, sed בְּרָעָה vocandus fuisset; denique nomen בריעה non hujus est unius Ephraemi filii, sed et trium aliorum, Genes. XLVI, 17. Num. XXVI, 44. 1 Paral. VII, 30. VIII, 13. XXIII, 10. atque, בֶּרַע regis Sodomorum Genes. XIV, 2. quorum omnium nomina, rarissimo aut potius singulari exemplo, a praefixo ב incipere, parum est verisimile. Primo quidem dubio ita occurrunt LXX. et Vulgata, ut היתה de ipso filio intelligant, *in malis nato*, ὅτι ἐν κακοῖς ἐγένετο ἐν οἴκῳ μου, Vulg. *eo quod in malis domus ejus ortus esset:* sed obstat omnino genus verbi היתה femininum. Ergone mutanda lectio, scribendumque היה? Ausus id librarius codicis Kenn. 71. versionem interlinearem latinam habentis, nec antiqui, ad seculum enim decimum quintum retulit Kenni-

Kennicottus: quem quidem testem quis sequatur, Hebraica ad Vulgatam, pro ejusmodi codicum more, corrigentem.

Radicem ברע habent Arabes, quibus est, *praecelluit*, indeque, *gratuito*, *sua sponte fecit*, *ultra debitum*, ac *tanquam donavit*, unde et تَبَرُّعًا *sponte*, Levit. VII, 17. et נְדָבָה *spontaneum sacrificium* تَبَرُّعٌ Levit. XXII, 18. 23. itemque مُتَبَرِّعٌ Deut. XXIII, 23. Hinc בְּרִעָה esse possit, *spontaneum dei donum*, *praeter exspectationem*, *legemque naturae*. Sic filius senescenti Ephraimo post filiorum nepotumque caedem natus, recte dici potuit: *vocavitque nomen ejus Beria*, *quod insolens donum factum erat domui ejus*.

In mentem mihi venerat alius lectionis, בריעה et ברעה, quod *miraculum*, *rem insolentem* significaret, collato Arabico بدع *novum produxit*, *incepit*, بَدِيعٌ *novae et mirabilis rei conditor*, *creator*, unde et locum, ubi transiisse Israelitas mare Erythraeum putant, *vallem Bedea* i. e. *miraculi* dixerunt Arabes, sed varietatem lectionis nullam inveni: hac ergo, quae se offert, radice ברע contentus sum, donec codices aliter praecipiant.

ברץ *candor*.

Ps. LXVIII, 31. legitur, si puncta sequaris, בְּרַצֵּי כָסֶף, Beth pro praefixo habito. Est hoc quidem praefixum quodammodo molestum, mallesque eo carere. Quid ergo, si בְּרַצֵּי adpellatum ad radicem ברץ referas, quae Arabibus *album* et *candicantem* colorem designat, a quo et leprae, et albicanti serpentum generi, et terrae arenosae herbis carenti nomen duxerunt? Sic foret, *candor argenti*, i. e. *candicans et splendens argentum*. Sed fateor, primo, lectionem בצרי mihi praeplacere, de qua vide pag. 208. deinde, vocabuli nostri significationem totam suspensam esse ex praecedente מתרפס, dubiamque

fore,

fore, donec de illo certi quid et explorati habeamus. רָצֵי, quod puncta volunt, quaero suo loco.

ברר *elegit*,

בַּר et בָּרוֹר *purus*, aliquoties LXX ἐκλεκτὸς vertunt; (vide loca a Trommio collecta, illisque adde ἐκ τῶν ἐκλεκτῶν πόλεων 2 Sam. VIII, 8. 1 Paralip. XVIII, 8. pro Hebraico ברותי, nomine urbis proprio) itemque verbum ברר *elegit*, Ezech. XX, 38. Dan. XI, 35. (εἰς τὸ ἐκλεγέναι, secundum Theodotionem τοῦ ἐκλέξασθαι). Ex his omnibus locis unus est 1 Sam. XVII, 8. ubi eligendi significatio verbo abjudicari nequit, omnesque LXX. Vulg. Chald. Syr. in eam consentiunt. Masorethae quidem בְּרוּ punctarunt, ad radicem ברה referentes, ego malim בֹּרוּ, ex ברר. Subiit suspicio animum, בחרו legendum esse, sed nullus ita codex.

ברר ubi de purificatione metallorum ponitur, quomodo differat aliquando a לבן et צרף, vide sub לבן.

ברברים 1 Reg. V, 3. (al. IV, 23.) *animalia non domestica.*

Copiose de hoc nomine egit Bochartus hieroz. T. II. libr. I. cap. 19. sed ita, ut magno eruditionis adparatu non solum nihil certi adferat, sed nebulas veri cupido offundat. LXX, ברור, ut dixi ἐκλεκτὸν vertentes, hic quoque *electa* vel lectissima habent, sed magna ex scholiis orta varietate lectionis, de qua deinceps: horum quidem sententiam hactenus facit suam, ut et ipse p. 134. lin. 6. seqq. *lectissima* intelligat *altilia*. Quod quidem mihi valde suspectum: unico in loco codicis sacri, in reliqua orientalium linguarum nulla, ברר *eligendi* significationem habet; hancne statim arripias ad ἅπαξ λεγόμενον explicandum?

Barbaricam avem, ex Barbaria adferri solitam, cum aliqui verterint, copiosus in eo est, ut nomen, *Barbaria*, quatenus partem Afri-

cae

cae ſeptentrionalem ſignificat, explicet, idemque et Aſiae quibusdam regionibus adſtruat, cui periergo paginas integras 129. 130. 131. 132. 133. impendit, praeter rem, ut opinor: eſt enim ſine dubio a Romanis tralatitium, qui incolas ſubjectae ſibi Africae, Aegypto excepta, barbaros vocabant, quod nomen ipſi deinde indigenae receperunt, ab indigenis Africae victores didicerunt Arabes; ab illo ergo, Salomonis tempore, nec aves, nec alia ulla animalia barbarica potuerunt dici. At vero hi ipſi, et alii, cum de avibus loqui ſcriptorem exiſtimarent, eorum ſententiam hoc potiſſimum argumento damnat, p. 135. *quod, licet Hebraei recentiores* אבם, *ſaginare etiam de avibus ponant, tamen in ſcriptura* אבום *pecudum aut jumentorum ſit, praeſepe, non avium ſaginarium.* Hoc vero quam eſt minutum argumentum, ac mere etymologicum! et tamen ita felix, ut aves Bocharto duce a lexicographis abdicatae ſint. (vide Coccejum) Illud quidem cavum lignum, ex quo gallinae, anſeresque, ubi ſaginantur, cibum capiunt, tota forma quid aliud eſt quam praeſepe? Nuſpiam, fateor, in codice Hebraico אבום dicitur, ſed hanc ſolam ob cauſſam, quod nuſpiam alias de avium ſaginatione ſermo incidit. Pergit: *hinc cum Euboeam inſulam occuparunt, qui cum Cadmo venerant, ut in Strabone habetur, eorum dux* אבם *dictus eſt, id eſt pecudum ſaginator. Unde Graeca flexione Abantes.* Mirum haec quemquam legere nec ſtomachari potuiſſe. Evolve quaeſo ipſum Strabonis locum, l. X. pag. 682. al. 445. Homerum incolas Euboeae ſemper vocare dicit, *Abantes*, pergitque, Φησὶ δ᾽ Ἀριστοτέλης, ἐξ Ἄβας τῆς Φωκικῆς Θρᾴκας ὁρμιθέντας ἐποικῆσαι τὴν νῆσον, καὶ ἐπονομάσαι Ἄβαντας τοὺς ἔχοντας αὐτήν. Οἱ δὲ ἀπὸ Ἥρωος φασί. *Ariſtoteles auctor eſt, Thraces, Abis, Phocidis urbe profectos, inſulam habitaſſe, indeque incolarum nomen, Abantes, ortum. Alii volunt, ab heroe aliquo ductum.* Nihil hic de Cadmo,

mo, nihil de Abante duce, nihil de etymo: ſed hae quidem etymologiae Hebraicae morbus ſunt *Bocharti*, magno viro ignoſcendus, nec tamen quae ex illis ſolis efficit, a lexicographis credenda et recipienda. Reliqua, quae ſequuntur, argumenta, avibus *barbaricis*, et *gallinaceo* generi oppoſita, jam nihil ad me.

Nihil egiſſe Bochartum credens, quem ablegare hic ſolent, tanquam re integra de ברברים, ſeu, ut XIV codices Kenn. habent, ברבורים diſpiciendum arbitror. Rabbini quid conjecerint non curo: antiquiſſimorum vero interpretum magnus ſane in *aves ſaginatas*, conſenſus. Habent eas, ut LXX taceam, de quibus deinceps, Syrus, Chaldaeus, Vulgata, graves, nec facile in eundem conſenſuri errorem, auctores: habet et Joſephus, ſed piſces addens, neſcio unde, forte ex conjectura, quod nollet piſces ab opiparis Salomonis conviviis abeſſe. Audaciusculum his contradicere omnibus, maxime cum in Samaritana lingua ברברי nomen avis ſit, neſcio cujus, pro Hebraico ינשוף Levit. XI, 17. poſitum, impurae quidem, ſed quod latius forte in Hebraica lingua patuit, quamquam et avis, Samaritanis impura habita, ex Judaeorum ſententia pura eſſe potuit, multae enim in impurarum avium nominibus tenebrae et lites, ipſumque anſerem, frequentiſſimum Judaeorum cibum, impurum ex edicto Moſis fuiſſe ſuſpicor. Et tamen avibus obſtare videtur, quod illas ſcriptor conſveto potius vocabulo, צפור vel עוף vocaturus videtur: ſed et hic reponi poſſit, non omnes omnino volucres, ſed aliqua earum genera, ברבר complecti.

Quid? ſi ברבר, a Chaldaico בָּרָא, Syriaco ܒܪܐ Arab. بر derives, *agrum, deſertum, ea omnia quae extra urbes habitationesque hominum ſunt*, deſignante, unde Chaldaeis חיות ברא *ferae*, Dan. II, 38. תור בר *bos ferus*, תרנגול ברא *gallus ſilveſtris* &c. &c. ut ברברים ſint,

ſint, agrorum ſilvarum, deſertorum animalia, quae venando capere ſolemus, domeſticis oppoſita? Sic poſſit quidem et aves complecti, quarum una Samaritanis ברברי, quaſi diceres, *deſerticola*, ſed et feras captas, ut cervos, dorcades: his ergo omnibus menſa Salomonis inſtruebatur, nec ſolum, qualia natura venatori offerebat, ſed et ſaginatis. Favet explicationi, quod cervorum et caprearum nomina praecedunt. LXX quidem ex conſveta lectione, *δορκάδων ἐκλεκτῶν σιτευτά*, ex Alexandrino codice, *ἐκτὸς – – δορκάδων καὶ ὀρνίθων, ἐκλεκτὰ ἐκλεκτῶν, σιτευτά* (ita qui vertit, in duas voces diſpeſcuit, בר ברים *lectiſſima lectiſſimorum*) ex editione Complutenſi, *δορκάδων, καὶ ὀρνίθων ἐκλεκτῶν, καὶ νομάδων*, ubi *νομάδες* forte libere per deſerta paſcentes ferae, (nam et aliqua explicatio ſuppetit). Videntur haec ſcholia eſſe, de pluribus animalibus non domeſticis, avibus, capreisque, cogitantis.

Veriſimilia, ut in vocabulo raro et obſcuro, adferre allaboravi: certa non habeo. Aliquid forte novae lucis, ſi quis nos doceat, quo vocabulo Samaritano - Arabicae verſiones Lev. XI, 17. pro ברברי utantur.

בר et ברית, *Alcali*, et, *nitrum*.

De hoc quidem vocabulo, philologis obſcuriore, copioſius egimus, in *commentationum ſocietati ſcientiarum Goettingenſi per annos 1758 - 1762 praelectarum*, ſexta, *de nitro Plinii*, et ſeptima, *de nitro Hebraeorum ſeu* ברית: quas ipſas legi velim, hic modo ſumma excerpens capita.

Salem alcali, et, *nitrum*, res natura diverſiſſimas, ob ſimilitudinem externam uno veteres complecti nomine ſolent, *nitri* quidem, Latini inque naturae hiſtoria Plinius, Hebraei בר vel ברית, hi quidem excuſatius etiam latinis, quod etymon nominis utrique aptum. His ergo ſignificat,

1) *salem lixivii, salem Alcali*, qui infusa aqua ex cinere combustarum arborum, fruticum, herbarum extrahitur, maxime quorundum fruticum, Arabibus eodem nomine *Kali* dictorum, a קלה *ussit, combussit*, descriptorum a *Joanne Michaele Langio* in tribus de herba Borith dissertationibus. Ipsam herbam, in Palaestina nascentem, suo tempore *Borith* vocatam esse, testis est Hieronymus, in comment. ad Jerem. II, 22. nec tamen hoc significatu in sacris literis occurrit. Ex sale lixivii saponem paramus, qui ipse forte et ברית Hebraeis dictus fuit: sed certo exemplo significationis biblico caremus, loco quidem Malachiae, c. III, 2. 3. est ineptissimus, de fusione enim metallorum sermo, cui salem ipsum Alcali, non paratum ex eo saponem adhibere solent. In solo Jeremiae loco II, 22. per filum orationis licet, ברית quo maculae eluuntur vestium, *lixivium (Lauge)*, *salem lixivii (Potasche)*, *saponem (Seiffe)* prout lubuerit, vertere.

Salis lixivialis optimi ditissima et olim fuit, et in hunc usque diem est, Palaestina: eo jam tempore, quo Acco nondum urbs fuit navibus Phoenicum nitrum, i. e. sal lixivialis exportabatur, ut ex Plinio libr. XXXIII. c. 27. §. 65. discimus, nostroque adhuc inter primarias merces est ex Palaestina exportatas.

Duplex ejus potissimum usus, primus quidem et notissimus in eluendis vestium sordibus, a quo et Malach. III, 2. ברית מכבסים *sal Alcali fullonum* cognominatur, nempe ut a nitro proprie sic dicto distinguatur. Coeruleas tamen quasdam nigrasve maculas, ut, atramento nostro factas, non eluit sal lixivialis, sed in fulvum colorem mutat, unde intelliges Jerem. II, 22.

Deinde, quod plerumque fugit interpretes, fundendis et purificandis metallis adhibetur, facit enim, ut citius liquescant: illo igitur

addito

addito primo minera vitrefcit, id vero eſt, in ſcoriam colliqueſcit, purum metallum ſupereſt; aut ubi mixta ſibi invicem metalla ſunt, ut, plumbum argento, vilius in ſcoriam vitreſcit, argentum purum enitet. Sic בר Jeſ. I, 25. *liquabo tanquam ſale alcali ſcorias tuas et removebo omne adulterinum tuum:* et ברית Malach. III, 2. 3. *quis feret adventum ejus? et quis ſtabit, cum adparuerit? Erit enim ut ignis metallurgi, et ut nitrum fullonum* (i. e. ut *ſal alcali*) *ſedebitque liquans et purificans argentum, purificabit Levitus, liquabitque illos ut aurum et argentum.* Ex eadem ſignificatione, ſed mutatis punctis, בְּרִית pro בֹּרִית, intelligendus quoque videtur Jeſaias, cap. XLII, 6. XLIX, 8. ut Meſſias fore dicatur, לִבְרִית עָם *ſal alcali populi* Judaici, qui ſcorias ab argento ſecernat, bonis ex populo in illum crediturs, maxima parte non creditura, et ſcoriarum futura. Sic certe ſub adventum Chriſti non evenit ſolum, ſed et eventurum, hoc ipſo vocabulo uſus, cecinit Malachias.

Etymologia facilis et expedita, a ברר *purus fuit*, in Piel, *purificavit*.

2) *nitrum noſtrum*, Germ. *Salpeter*, Gallice *Salpêtre*. Sic accipiendum puto Levit. II, 13. ubi in ſacrificiis cujuscunque generis non omittendus dicitur, מלח ברית אלהיך *ſal puritatis* i. e. *ſal purus Dei tui*, quod enim puncta habent בְּרִית *ſal foederis Dei*, cur repudiandum ſit in commentatione de nitro Hebr. §. 7. copioſius diſputavi: ſal, foederum ſignum, aut in ſanciendis foederibus adhibitus, commentum eſt interpretum, nullo teſte antiquo probatum. Sal Aegyptiis purus erat, ſacrificiis adhiberi ſolitus, nitrum; marinus impurus cenſebatur. Jubet ergo Moſes, in ſacrificiis ſale non niſi puro, id eſt, nitro, uti. Eundem ſalem et alio nomine טהור *purum* vocat, jubetque ſuffimentum ſacrum *ſaliri pure*,

(ממלח טהור) i. e. cum nitro parari, Exod. XXX, 35. quod quidem nitrum, in igne dissiliens et crepitans, facit, ut citius incendium et fumus spargatur aromatum. Nitro quidem non solum carnes optime saliuntur, sed et panes ac placentae, ita tamen ut panes placentasque statim comedere oporteat, non diei crastino servare, quod quidem ipsum Mosis praeceptis aptissimum, nolentis, quidquam de sacrificiis in crastinum superesse.

Inversa etiam constructione habemus ברית מלח Num. XVIII, 19. 2 Paral. XIII, 5. quod *foedus salis* vertere solent, salem pro aeternitate poni putantes: vulgata ex hoc loco, sed aspera phrasis, nec aliis exemplis firmata. Et hic suspicatus sum ברית efferendum, *puritas salis*, i. e. *sal purus*, ita tamen ut sal pro salario ponatur, (vide infra מלח) intelligaturque *salarium purum et sanctum*. De his tamen locis nihil certi habeo, possit enim et *foedus salarii* esse, i. e. *salarium foedere firmatum*, *stipulatum salarium*. In chronicorum libro ne lectio quidem certa, Syrus enim vertit, ac si legisset ברית מלך *foedus regis*, i. e. *foedus de regno* aeternum obtinendo, nullo quamvis codice Kennicottiano consentiente.

ברותי 2 Sam. VIII, 8. *Berytus*.

Urbs Phoenices ad mare mediterraneum, *Berytus* Graecis et Latinis بيروت Arabibus, nostris itinerariis *Barut* vel *Bairut* dicta. Vide de ea, praeter Cellarium Büschingiumque, Abulfedae Syriam p. 48. et 94, itinerariumque Francisci Ferdinandi de Troilo p. 74. Hanc urbem, quae antea subjecta Nesibeno regi fuerat, cepisse David 2 Sam. VIII, 8. dicitur. Alio nomine בֵּרֹתָה dicta erat, quod vide suo loco.

בָּשָׁן forte *Aschteroth Karnaim*.

בשן, *Basan*, nomen regionis, Bataneae, notissimum: semel tamen et ut urbis nomen occurrit, 1 Paral. V, 15. *habitarunt in Gileaditide*

ditide בבשן ובבנותיה *in Basan et filiabus ejus*, i. e. minoribus urbibus ad Basanem metropolim pertinentibus. Vide de ea scripta pag. 30.

בָּשְׁנָה *saccus.* Hos. X, 6.

Nomen suspectum, cujus loco malim mutatis vocalibus בַּשָּׁנָה, *hoc anno.* Vide bibliothecam Orient. T. XIX. p. 182. Beth si radicale existimes, ut interpretum plerique, et punctorum auctor, noli ad radicem בויש relatum *pudorem* vertere. Praeiverunt quidem ita ex veteribus Chaldaeus, Syrus, Vulgata, quos, si בשה legerunt, non reprehendo, (quamquam haec lectio in nullo hucusque codice reperta) at בשנה cum Nun per leges grammaticas *pudor* esse nequit, quodque comminiscuntur Nun nominum epentheticum, nulla linguarum Orientalium analogia, nullo certo stabilitur exemplo Hebraico. Ergo potius *saccum* verterem, collato بَسَّانَة *saccus ex grossiore lino:* hoc sensu, *saccum capiet* (lugens) *Ephraimus et pudefiet.*

בשס Amos V, 11.

Ἅπαξ λεγόμενον, cum על constructum, יַעַן בּוֹשַׁסְכֶם עַל דָּל: de quo ante omnia notari velim, decem codices Kennicotti sine Vau habere בשסכם.

Vix ulla mihi spes, certi quid adferri de hoc verbo posse, sufficiat ergo, ne incerta, quae in lexicis inveniunt, pro certis habeant lectores, potissimas versiones conferre.

1) Multi Piel a בוס *proculcare* interpretati sunt, ס in ש mutato, pro בּוֹסַסְכֶם. Hi quidem audacter, nulloque simili exemplo.

2) Alii quadriliterum putarunt, ex duobus triliteris compositum, pater meus in notis ad biblia Halensia, ex בוש et בוס, ut sit, *ignominiose calcare super pauperes*, Simonis ex بيس *superbum se gessit contra aliquem*, et شوس *limis oculis adspexit prae superbia.*

Conjectura est, non sententia; verisimilis futura, si plane apta filo esset orationis. At sequitur, *et portionem frumenti accipitis ab illo*: ut non de contemtu pauperis, sed de donis injuste ab illo exactis sermo esse videatur. Ergo nec hoc placet.

Mirum nemini in mentem venisse, ex בוש et שסס *diripuit*, componere, ut sit, *ignominiose diripere*, sed nec huic conjecturae apta constructio cum עַל.

3) Chaldaeus et Vulgata: *quia diripitis pauperem*, ac si aut legissent, aut legendum censuissent, שֹׁסְכֶם. Hanc tamen lectionem codex nullus, Kennicotto collatus, habet; nec apta est sequenti עַל, verba enim diripiendi simpliciter cum adcusativo construuntur.

Jam ergo verisimile, בשס radicem olim fuisse, quod si est, nobis illa plane periit, in nulla linguarum orientalium servata. Harum ope destitutis, vix quidquam praeter antiquas versiones, aut conjecturae jus et fluctuationem, relinquitur. LXX quidem, κατεκονδυλίζετε πτωχὸν, *quod pugno caeditis pauperes*, (male ad constructionem cum עַל) seu ex lectione codicis Alexandrini, κατεκονδύλιζον εἰς κεφαλὰς πτωχῶν *pugnos dederunt in capita pauperum*, quam et Arabs expressit, أقمعوا روس المساكين. Consentit his Syrus, ܕܡܩܦܚܝܬܘܢ ܠܡܣܟܢܐ: *quod colaphis caeditis pauperes*. — — Kimchi ad Amosum: *nuspiam alias verbum occurrit, sed ex serie orationis videtur esse, onus imponere* (עמס והטריח). Nihil certe eorum, quae alii dixerunt, sive ad seriem orationis, sive ad constructionem cum עַל aptius concinniusque: quin ab hac verisimili conjectura ad aliam delapsus suspicari possis, על *jugum esse* (עֹל) et בושס על *imponere jugum, gravius facere jugum*. Sed nihil in his certi.

Ergo multo incertiores, quam adierunt, dimitto lectores, quod tamen ipsum sapientiores non aegre ferent: melius enim est, scire, quod

quod aliquid nesciamus, quam errare, eamque significationem, quam lexicon quodque primum obvium offert, pro vera habere. Conjicere desinamus! certi aut verisimilis nihil habebimus, nisi nova lux ex linguis cognatis adferatur; quam ipsam tamen despero, plures enim radices, in quibus duae sibilantes immediate concurrunt, reliquis dialectis Orientalibus omnibus periisse, forte ob cacophoniam, video. Plura in grammatica.

התבשׂר *laetatus est*, בִּשֵּׂר *laeta nuntiavit.*

Verbum בִּשֵּׂר et بَشَّرَ *laeta nuntiavit*, Hebraei cum Arabibus commune habent, Syris eo carentibus, ac suum pro illo ܣܰܒܰܪ substituentibus. Unde hanc *laeta nuntiandi* significationem obtinuerit, incertum, duplici se ad illam via offerente.

1) A בשׂר, بَشَرٌ, *caro*, primo *pulcritudinem* denominant, بَشَارَةٌ, a pulcritudine, vultusque hilaritate, *gaudium* dicunt, ut بَاشَرَ et اِسْتَبْشَرَ *excepit illum vultu nitido laetoque*, indeque, *laetus fuit.* Hoc etymon si sumas; בִּשֵּׂר erit, *exhilaravit*, laeto scilicet nuntio: et יִתְבַּשֵּׂר 2 Sam. XVIII, 31. passive, *exhilaretur*, i. e. *laetetur dominus meus rex*, quod quidem ibi una cum consveta explicatione expressit Arabs, يُبَشَّرِ الْمَلِكُ وَيَسْتَبْشِرْ *laetum nuntium percipiat rex et laetetur.*

2) Possit et esse idem quod Syriacum ܣܰܒܰܪ a ܣܒܰܪ *speravit*, q. d. *sperare jussit*, *ad spem erexit.* Sic referendum erit ad radicem שׂבר *speravit*, quam suo loco vide. Hoc verisimilius videri incipit. Recte observant, catachrestice de malo etiam nuntio poni 1 Sam. IV, 17. Id quidem Arabibus frequentius, quibus بَشَّرَ primo quidem est, *laeta nuntiare*, deinde generatim, *nuntiare*, *adnuntiare*, *admonere*.

 deni-

denique et, *mala nuntiare* vel *minari*. Coran. Sur. XLV, 7. *audit oracula dei, quae ipsi praeleguntur, sed pergit ea contemnere ac si non audivisset,* فَبَشِّرْهُ بِعَذَابٍ أَلِيمٍ *nuntia illi poenam dolorificam.* Sic et c. LI, 28.

בָּשָׂר *caro*, et *cutis*.

בשר non solum carnem, sed et 1) totum *corpus* 2) *hominem* 3) *animal* 4) *pudenda* 5) *cognatos*, esse, recte docent exemplisque confirmarunt lexicographi: quarum significationum prima maxime ad usum N. T. notanda, in quo σάρξ, ut fomes cupiditatum et peccatorum opposita πνεύματι, *corpus* est. Secunda significatio Arabibus usitatissima, بَشَرٌ *homo*, maxime in oppositione ad angelos.

Unam vero, qua aegre carebit bibliorum lector, a Kimchio jam indicatam, plerique praetermittunt: (Stockium non sine laude excipio, mallem tamen, exemplum nihil probans 1 Reg. XXI, 27. in quo recte corpus intelligi potest, omisisset.) Arabibus بَشَرٌ et بَشَرَةٌ inter alia *exterior hominis cutis* est, quin et aliarum rerum, animalium, atque etiam herbarum exterior facies: inde et cute vel corio prehendere, corium tractare, radere, بَشَرَ dicunt. Jam haec Ps. CII, 6. legens דבקה עצמי לִבְשָׂרִי quis non viderit ex Arabismo vertenda esse, *adhaerent ossa mea cuti meae*, i. e. ita sum emaciatus, ut ossa non jam carne, sed sola cuti vestiantur. Quis enim unquam queratur et lamentetur, ossa carni suae adhaerere? Eandem significationem et ad Jobi locum XIX, 20. transtulit Schultensius, satis verisimiliter, nullius enim momenti est, quod Reiskius opponit: בשר *cuticula seu epidermis non est,* بشر *Arabum est crassa cutis proprie sic dicta* (Conjecturarum in Jobum p. 68.). Hic ut taceam, Reiskium nullo allato argumento pro auctoritate edicere, et vero contra Arabum lexicographos, et Schultensium,

tensium, nec in vitae communis sermone aut poëmate medicorum anatomicorumque subtilitate cuticulam crassiorem ab exteriore, epidermide, distingui, sed utramque uno nomine comprehendi: id quod ille opponebat, maxime pro Schultensiana sententia facit. En ipsa Jobi verba, בעורי ובבשרי דבקה עצמי, duplici cutis nomine conjuncto: fac ergo anatomicorum praecisione nomina poni, haec prodibit sententia, *epidermidi cuticulaeque meae adhaerent ossa*, liberabiturque hac objectione Schultensius, quae mihi sententiam ejus dubiam fecerat, ut sequi in versione Germanica non auderem, cum ab עור *cuti* בשר distinguatur, non posse cutem esse. Nihil tamen de hoc Jobi loco decernere ausim, alia se lectione, naturae morbi Jobi aptiore, offerente. Vide Biblioth. Or. T. VIII. p. 182. 183.

Tertius est locus, cui cutis egregie apta, Job. IV, 15. *cohorruerunt omnes pili* בשרי *cutis meae.*

Notanda vero et locutio

אכל בשרו *comedit carnem ejus*,

i. e. *male de aliquo locutus est*, *calumniatus est*, *adcusavit*, Ps. XXVII, 2. atque, quae eodem redit, Job. XIX, 22. *quousque me persequemini*, ומבשרי לא תשבעו *et carne mea non satiabimini*, i. e. non desinetis me calumniari, et injuste adcusare. Nempe ex Orientalium linguarum usu, Chaldaicae, Syriacae, Arabicae, obtrectator mordere fratrem suum, ejusque carnem comedere dicitur. Fabula Locmani XXX, de canibus mortuum leonem mordentibus, in sententia morali addita explicatur de his, *qui* يستبون بقوم قد ماتوا *mortuos petulanter adcusant*: quodque nos in proverbio habemus, *de mortuis et absentibus non nisi bene*, sic Muhammedes praecipit, Sur. XLIX, 12. *o vos qui crediderunt, cavete vobis solicite a suspicionibus, quaedam enim suspiciones peccatum sunt, nolite absentibus obtrectare. Velletne unus*

ex vobis أَنْ يَأْكُلَ لَحْمَ أَخِيهِ مَيْتًا *comedere carnem fratris sui post mortem? Hoc certe abhorrebitis.* Hinc et أكل in quarta, elliptice, omisso لحما, est, *susurronem agere*, et أُكْلَة *maledictum in absentem*, et لَحِم *carnis adpetens, carnivorus*, de satyrico carmine ejusque scriptore dicitur: quae sine exemplis, ut nota ex Golio sumo. Poeta Salim p. 133. chrestomathiae nostrae calumniatorem describit, يَغْتَابُ لَحْمِي وَلَا يَشْفِيهِ مِنْ قَرَمٍ *vescitur carne mea, nec potest eum sanare a fame carnis*, (i. e. illa nunquam satiatur). Quem ad locum Schultensius, qui et primus phrasin Hebraicam in Jobi libro luce perfudit, haec alia similia dicta adnotavit, *dicis, jejunus sum, cum tamen carne fratris tui pascaris: — —* et, *non levis ad obtrectationem, nec amici carnes comedens.* Chaldaeis et Syris calumniari, adcusare est, אֲכַל קַרְצוֹהִי ܐܟܠ ܩܪ̈ܨܘܗܝ proprie, *comedit demorsum ejus*, collato قرص *momordit*, قُرْص *crustulum panis*, قُرْصَة *crustulum*, et a mordendo قَارِصَة *dictum pungens, maledictum, convicium.* Ab hac phrasi Syris, *diabolus*, tanquam delator κατ᾽ ἐξοχήν, ܐܟܠ ܩܪ̈ܨܐ. Alia derivata omitto, in lexicis Syriacis Chaldaicisque quaerenda.

בתך

بَتَكَ Arabibus est, *secare*, (unde et gladio nomen بَاتِك, *secans* ducunt) Aethiopibus, *rumpere*, *frangere*, *discerpere*. Moneo, cum quod hoc verbo opus habebimus in Hebraico בתק explicando, tum quod Genes. XV, 10. Hebraeis codicibus habentibus, ויבתר בתוך, Samaritanis ויבתר בתור (*dissecuit dissecando*) suspicio mihi suboritur, idem Hebraica significare, his vocalibus efferenda, וַיְבַתֵּר בְּתוֹךְ. Suspicio etiam suborta, non quidem in opinionem firmata, sed quam lectores

ctores celare nolim, Genes. I, 6. pro בְּתוֹךְ הַמָּיִם efferendum בְּתוֹךְ הַמָּיִם *dissectio*, *disterminatio*, *divisio aquarum*.

בתק *secuit*, *dissecuit*.

Semel occurrit Ezech. XVI, 4. בתקוך בחרבותם *gladiis* vel *cultris suis te dissecabunt*: ubi recte jam Castellus Arabicum بتك contulit. Lexica evolvens possis forte et advocare بتق *laceravit*, sed per leges grammaticas utriusque linguae vix licet. (Vide grammaticam Arabicam §. 2. p. 16. 17.) nisi forte in lexicis Arabum, ut saepe accidisse monui p. 28. ejusdem grammaticae, male puncta imposita literis sint, بثق, ubi بتق scribendum erat. Sed id nemo perpurgaverit, nisi ipse Arabiam intimam adierit.

Est crudele supplicium διχοτομίας quod Chaldaeorum barbaries invexit, uno corporis membro post alterum amputato. Hebraeis enim ignotum fuit, sed sub Chaldaeorum imperio Ezechiel vixit ac scripsit, exsul ad Chaboram. Ejusdem supplicii, sed aliis verbis, mentio Ezech. XXIII, 47. (ubi, ut hic, cum lapidatione conjungitur,) et Dan. II, 5. Vide patris mei dissertationem de suppliciis capitalibus Hebraeorum §. 23. et adde, bibliothecam nostram orientalem T. IV. p. 29. Assemanique martyrologium Orientale T. I. p. 246. seqq. ubi ex Syrorum monumentis de *Jacobo membratim dissectio* (ܡܦܣܩܐ) refertur.

Ex antiquis interpretibus solus Chaldaeus בתק recte vertit, יבזעונך *dissecabunt te*: reliqui, barbari supplicii et horrendi ignoratione, utcunque de בתק conjecerunt, verbo latioris significationis usi, LXX. κατασφάξουσι, Vulg. *trucidabunt*, Syrus, ܢܩܛܠܘܢܟܝ *percutient te*.

בָּתַר *dissecuit*, בֶּתֶר *segmentum*, *partes in quas sacrificium dissecatur*.

Rarissimum utrumque, non nisi Genes. XV, 10. obvium, ac forte, ut plura ejus capitis verba, ex antiquo monumento ex quo Moses hanc

hanc historiae partem sumsit, servatum: ipsi enim Mosi alias, dissectio sacrificiorum, est בֶּתֶּה, partesque, in quas dissecantur, בְּתָרִים.

Apud solos Arabes superest, duplici orthographia, بتر, quod vertunt, *resecare, antequam aliquid sit perfectum, mutilare*, e. g. *aure resecta*, ubi secandi significationem subesse, sed usu restringi ad mutilationem vides, et per ט, بطر simpliciter, *findere*. Ipse Hebraismus utramque videtur scriptionem habuisse, textus enim Samaritanus, (pro בתוך ille quidem repetito verbo בתור legens) sic habet, ויבתר אתם בתור ויתן איש את בטרו, *dissecuit ea dissecando, posuitque cujusque segmentum*, verbo per ת, nomine per ט scripto: quamquam et hoc aliqui codices per ת habent.

בתת

Habent Arabes بَتَّ sub significatione, *secandi, decidendi, ita aliquid faciendi, ut non detur regressus, rem plane finiendi, emaciandi*. Ad hanc radicem referendum secundum puncta masorethica בַּתּוֹת Jes. VII, 19. vertendumque, *valles prorsus vastatae*, itemque בַּתָּה Jes. V, 6. si ex altero loco his punctis instruas בַּתָּה. Equidem utrumque vocabulum malim sine Dagesch efferre, בָּתוֹת, a radice בות. Vide de eo dicta pag. 174.

Si vera eorum conjectura, quibus literarum forma minuscula indicium videtur criticum, eam literam in aliis desideratam olim fuisse codicibus, ipsum adeo verbum ex varia lectione לְבַתָּהּ pro לִבְכֹּתָהּ habebimus, Genes. XXIII, 2. significatione, *ultimum vale dicendi*: ut in malam partem *repudiare uxorem* بَتَّهَا est, *eam ita repudiare, ut non detur regressus*. לִסְפֹּד לְשָׂרָה וְלִבַתָּהּ sic vertes, *ad lugendam Saram, ultimumque ei vale dicendum*. Nullus tamen codicum Kennicottianorum Caph omittit.

